

Q. 165. (6)

Vol. 118. 119



QVAESTIONEM IVRIS PVBLICI SAXONICI -

VTRVM

POSSESSORIVM SVMMARIVM
ET ORDINARIVM
IN IVRE COQVENDAE ET VENDENDAE
CEREVISIAE OBTINEAT

AVCTORITATE ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

PRAESIDE

D. CHRISTIANO GOTTLOB BIENERO

PANDECTARVM PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO IN STUDIO
LIPSIENSI, SVPREMAE CVRIAE ELECTORALIS SAXONICAE ET
FACVLTATIS IVRIDICAE ADSESSORE, CAPITVLI ECCLESIAE
CATHEDRALIS NVMBVRGBENSIS CANONICO

A. D. VIII. APRILIS c1o1occc

H. L. Q. C.

AD DISCEPTANDVM PROPONIT

AVCTOR

CAROLVS LVDOLPHVS HANSEN

LIPSIENSIS.



LIPSIAE

IMPRESSIT CAROLVS TAVCHNITZ.



K. 165

X 2346233

7.58



Ms. No. 4

11, 22

2010

POSSORIVM SVMMARIVM

ET ORDINARIVM

IN HRE GOVERNAR ET LEVITAE

CHRISTIANE ORDINAT

AVTORITATE NOSTRA

BRUNSVIC

D. FERDINAND GOTTLIB ERBERHO

PROFESSOR

IN

BRUNSVIC

AVTORITATE NOSTRA

BRUNSVIC

AVTORITATE NOSTRA

BRUNSVIC

AVTORITATE NOSTRA



SENATVI
VRBIS LIPSIENSIS
ORDINI AMPLISSIMO GRAVISSIMOQVE
VIRIS
MAGNIFICIS ILLVSTribVS
IVRIVM CONSVLTISSIMIS PRVDENTISSIMISQVE
CONSVLIBVS
P R O C O N S V L I
AEDILIBVS
S Y N D I C O
PRAETORIBVS
CAETERISQVE SENATORIBVS MERENTISSIMIS
PATRONIS SVIS
OMNI STUDIO ET OBSERVANTIA
COLENDIS
HAS PRIMITIAS ACADEMICAS
PIA MENTE OFFERT
CAROLVS LVDOLPHVS HANSEN.



SENA TVI
VNDI...
ORDINI...
MAGNIFICIS...
TUEM...
CONSULIBVS
P R O C O N S V L I
AEDILIBVS
S Y N D I C O
P R A E T O R I B V S
C A T E N S I O N E B E N E F I C I I S
P A T R I C I I S
O M N I S T A D I O P T I M I S
C O M M O D I S
H A S P R I M I T I A A C A D E M I C A S
H I A M E N T E O R D I N A T
G A L L I S I A D O L F I S H A N S I S



PROOEMIUM.

§. 1.

Ex iure naturae iam cognoscimus, hominem pro viribus suis, quatenus alterius libertas non laeditur, libere agere, materiam, in qua exerceat industriam suam, sibi eligere, et artes pro lubitu exercere posse. Tantum abest ut in statu civili hoc ius tollatur, ut potius ex illa civium aequalitate, quae inter principia iuris publici vniuersalis principalem locum occupat, prono alueo fluat. Populi, quamdiu adhuc Nomadum more vivebant, nec praeter bella et venationes aliud quid cogitabant, illum statum semper retinuerunt. Vbi primum vero ciuitates ordinatae atque, diuersis hominum classibus constitutis, multiplices ordines, condiciones et rationes civium introductae fuerunt; euenit, ut cuius ordini certum vitae genus paulatim vindicaretur, omnium autem rationes propriis iuribus, priuilegiis finibusque circumscriberentur, quos egredi et quasi falcem in alienam messem immittere nefas haberetur. Quamobrem regulam esse ponendam existimo, cui libet licere naturali iure ac libertate uti, nisi quid legibus publicis moribusque maiorum exemptum et certo cuidam ordini prae reliquis attributum doceatur a).

a) MOSER *Von der Landeshoheit in Policy-S. c. 8. §. 7.*

Germani, licet diuersis populis distincti, communi tamen, vt ita dicam, concentu olim iam diuersos ordines, ingenuos nobilesque, seruos ac libertinos agnouerunt; deinde medio, quod dicunt aeuo, gentes militares primum, postea quoque ministeriales, militiae, munerisque praerogatiua paulatim nouum prisca nobilitate inferiorem sed ingenuorum reliquorum superiorem ordinem constituerunt, ex libertinis autem, sublata per plurimas Germaniae prouincias seruitute, rusticorum conditio orta, et novus tandem ex ingenuis, qui in vrbes concesserant, ordo natus, qui licet libertis mixtus, statum ingenuorum seruauit, vt in prouinciis Germaniae nisi vna alteraue modo magis herili regatur, nobiles, ciues atque rustici numerentur. Cuilibet ordini propria quodammodo et ad statum eius adcommoda negotia fuerunt tributa, nobilibus militia tanquam peculiare artis corporisque exercitium atque vitae genus ipsis maxime conueniens reseruata, et commoda, quae exinde enascebantur, stipendiorum equestrium (*Rittersolden*) loco, inprimis praediorum feudalium possessio et administratio tanquam quaestus assignata fuerunt. Rusticus, vnde et nomen tulit, rei rusticae mancipatus, ciues vero reliqua industriae obiecta, sub nomine quaestus ciuici (*bürgerliche Nahrung*) sortiti fuerunt ^{b)}, lex autem omnibus data atque scripta fuit, vt omnes tanquam membra reipublicae salutem publicam curarent promouerentque, quilibet tamen intra fines lege ac more definitos se contineret.

b) Memorabile huius rei exemplum legimus ap. GOLDAST *Constit. Imper.* p. 118 sq. cap. 5.

§. 2.

Inter quaestus ciuicos numerandum est Ius coquendi et vendendi cereuisiam *c*). Res ad coquendam cereuisiam necessarias quum per agriculturam tantummodo accipiamus, in dubium profecto vocari nequit, cereuisiam antiquissimis temporibus praesertim in pagis atque a rusticis reliquisque agrorum cultoribus confectam esse. Ex quo vero cereuisia, quam olim quilibet ad familiae suae vsum coquere solebat, pro parte commercii haberi coepit, a commercio vero equites et rustici moribus Germanorum excluderentur, cereuisiae venditio pro parte quaestus ciuici in plurimis ciuitatibus recepta *d*), ciuibusque vrbium vindicata, idque eo etiam promotum fuit, quod cereuisiam coquere in artem abiit, eiusque rei ergo collegia ac corpora constituebantur, quae mediū aevi ingenio non nisi in vrbibus commode sedes firmas figere posse videbantur.

§. 3.

Antiquissimis temporibus etiam in Saxonia electorali cereuisiam in multis pagis atque a rusticis coctam et venditam, seculo XIII autem hunc quaestum iam pro ciuico haberi coeptum, denique seculo XV vrbibus ita reseruatum fuisse, vt inter praediorum equestrium possessores illi tantum ius braxandi sub certis limitationibus retinerent, qui per praescriptionem legitimam illud consecuti fuerint, argumento est SPECVLVM SAXONICVM, eiusque

c) De toto hoc loco conferendi sunt, praeter MOSERVM, STRVBEN *Nebenstunden III. Th. 19. Abhandl.* SCHÖPFER de iure braxandi.

d) Cf. STRVBEN *l. c.*

Glossa Lib. III. a. 66. et ORDINATIO, provincialis d. a. 1482. Ex quo principium Iuris Saxonici Electoralis cum publici, tum privati, notissimum: „*dass das Malzen, Brauen und Schenken eigent-
lich denen Bürgern in Städten zu Erhaltung bürgerlichen Standes, aus
sonderbaren erheblichen Ursachen geeignet, auch derselben Wesen und
Wohlstand gleichsam darauf gewidmet und gegründet, der adliche
Stand und Landmann sich solcher bürgerlichen Handthierung enthalten
und zum Verderb der Städte nicht Ursach geben solle,*“ manavit, et saepius inprimis per RESOL. GRAV. d. a. 1661. Tit. Von Justiz-
Sachen, §. 118. e) firmatum fuit. CHRISTIANVS I. Elector Sa-
xoniae anno 1592 Status provinciales in Comitibus ita allocutus est: „*Ihr wisset, dass Brauen und Schenken keine Nahrung auf dem
Lande, sondern Bürgers Nahrung ist f).*“

Sed cum contra prohibitionem Ordinationis provincialis, quae incolis pagorum coctura et venditione cereuisiae interdixerat, sexcenties ageretur, MAVRITIVS Elector per mandatum d. a. 1551. g) illam prohibitionem Ordinationis provincialis repetere, et vt simul tota res decideretur, constituere coactus est: „*Welcher — aus Herkommens und über verwehrte Zeit geübten
Gebrauch mit dem Brauen oder Mälzen berechtigt zu seyn vermei-
net, und seinen Stand nicht bedenken will, dem seyn wir, so weit er
solches zwischen hier und Michaelis schierst beweiset, und vor Bar-
tholomaei nächstkommend in unserer Canzley Commissarien darzu aus-*

c) Cf. *derer Städte allerunterthänigstes Memorial und Verwahrung gegen die Schrift der Ritterschaft, die Braunahrung betreffend, in ACTIS COMITIORVM PROVINC. d. a. 1722.*

f) l. l.

g) C. A. T. I. p. 66.

„bringet, darbey bleiben zu lassen geneigt“ etc. Quem quidem terminum ad probationem instituendam praedefinitum ^{h)}, cum nimis difficile esset seruare, AVGVSTVS Elector pro ea, qua nostri Principes semper excelluerunt aequitate atque clementia, in ORDINAT. PROVINC. d. a. 1555. illi legi eatenus derogauit, vt ne possessores praediorum equestrium sua sponte in arenam descendere, nec prius, quam ab oppidis peterentur, probationis onus subire tenerentur ⁱ⁾.

§. 4.

Ex qua constitutione quamuis pateat, legislatoris mentem eam fuisse, vt possessores praediorum equestrium non quidem vltro probationem instituerent, sed demum si vrbs aliqua de ipsis conquereretur, priuilegium suum ederent, vel praescriptionem immemoriam docerent: quaedam tamen verba in lege dicta obuia equitibus interpretationis in suum commodum faciendae ansam praebuerunt. Dixerunt nimirum, per verba: „Sie sollen mit der Beweisung nicht eher belastet werden, als bis sie von den Städten deshalb angefochten werden,“ constitutum fuisse, vt a probationis suscipiendae onere immunes essent, nisi actio in petitorio ab vrbe moueretur; deinde verbis: „daß diejenigen, so des Brauens und Schenkens in Gewähren oder Gebrauch seyn, dabey bis zu Erörterung der Sache bleiben,“ hunc sensum attribuerunt, vt praediis equestribus commoda possessionis data existimarent, ideo

h) Mandatum ipsum enim mense Iulio cum editum esset, intra perpaucos menses media probandi conquirenda fuissent.

i) In C. A. T. I. p. 67. a verbis: weil sich aber etc.

que possessorio summario atque ordinario tam diu se tueri valerent, donec vrbs aliusue contradictor ius prohibendi euerit; quod etiam exinde firmare cupiunt, quod Princeps vetuit ambages disceptationum forensium in his causis ac cognitionibus; breuem enim litem seu processum in his causis possessorium summarissimum interpretantur. Inde accidit, vt paullatim plures pagi cereuisiam coquere et vendere inciperent, et contra vrbes, quae ipsos prohibere studebant, possessorio instituto, sese defenderent, praesertim cum dicasteria interdum ipsos in possessorio tuerentur, ciuibus vrbiū ad petitorium ablegatis. Quo quidem modo vrbibus quaestus ille ipsarum saluti vnice destinatus, passim detractus imminutusque fuit: quid? quod placuit quibusdam ius cereuisiarium, vrbibus tributum intra fines milliaris ita coercere, vt iure prohibendi extra hos terminos plane carerent. ^{k)} Itaque vrbibus nihil reliquum erat, nisi vt in Comitiiis prouincialibus de iuris sui imminutione conquererentur. Sed tantum abfuit, vt mox votorum suorum compotes redderentur, vt Equites potius contenderent in Iudiciis ordinariis forisque, non in Comitiiis prouincialibus haec tractari oportere, negarentque hanc esse constituendae huius rei viam legitimam. ^{l)} Tandem per iniuriam temporum quaestus ille ciuicus etiam diminutus est, praesertim bello tri-cennali, maximum enim ciuitatibus damnum inde enatum est, quod

^{k)} MENKEN *de iure prohibendi cereuis. ciuitatum Sax. et IDEM progr. ius cereuis. ciuitatum Sax. ad milliare omnino restrictum esse. Viteb. 1735.*

^{l)} *Der Ritterschaft übergebene Schrift wegen der Brau-Berechtigung in Comit. d. a. 1722.*

in plurimis locis solo et mere arbitrio cereuisia coqui vendique coeptum fuit. m)

§. 5.

Sed Principes nostri per clarissimas leges iura vrbium tueri studuerunt. IOANNES GEORGIVS II. recessu a. 1670 edito constitutiones veteres ita interpretatus est: n) „*daß die von den Turbanten zu ihrem Behuf etwa anziehenden actus clandestini et turbatiui pro possessoriis nicht gehalten, noch darauf reflectirt werden solle.*“ Videbantur quidem haec verba potius in fauorem possessionis nimirum eius, quae non aperte vitio clandestinitatis, vis vel precarii laboraret, scripta esse; recessus vero ann. 1673 et 1676 genuinam legislatoris mentem luculenter exponit. o) His verbis: „*ordnen anderweit, wollen auch denen Rechtscollegiis einsten anbefehlen, daß in Brau- und Schenkerechtigkeits-Sachen, wenn Prozesse darüber angesponnen werden, oder nochmals angestellet werden wollen, dießfalls auf keine Possess erkannt, auch alle actus, so dagegen angezogen werden möchten, pro clandestinis et turbatiuis — schlechterdings geachtet und gehalten werden sollen.*“ Qua quidem lege et sanctione quidquid in fraudem iuris vrbibus competentis gestum factumue aut veteribus constitutionibus sub-obscurè expressum fuerat, abrogatum atque lucidius declaratum fuit. At vero nec hac lege perpetua inter vtrumque ordinem concordia stabiliri potuit. Praediorum enim equestrium possessores eorumque coloni ac conductores, vt ex cereuisia cocta lucrum caperent, sub speciè potus quotidiani in suum familiaeque vsum coquendi, modum hunc lege permissum egressi, non vendiderunt

m) Res. Gr. d. a. 1661. Tit. V. Justiz-S. §. 118.

n) C. A. T. I. p. 358.

o) Ibid. p. 358. 359.

solum cereuisiam, sed subditos suos ad illam emendam adeo coegerunt, quid? quod cereuisiam suam in vicina loca diuendam miserunt. Quin fuerunt qui ius vrbium cogendi ultra milliare in dubium vocarent, atque intra milliare illud restringere conarentur p). Vniuersus tamen ordo equester non ausus est, id quod aperte contra constitutiones atque leges pugnabat, in Comititiis prouincialibus palam pronunciare, cum nimirum vrbes in comitiis ao. 1675. habitis non per Deductionem, quam vocant, tantum, sed etiam per Informatum, a Scabinatu Lipsiensi de hac lite peti- tum, illorum conatui obuiam iuissent, et ius suum prohibendi vniuersale contra omnes exceptiones firmassent. Quoniam vero perpetuis Equitum turbationibus admodum defatigatae erant, ad tranquillitatem forte adipiscendam, denique pactum, quamuis iuribus ipsorum quodammodo derogans, inire haud grauatae sunt. In comitiis itaque de ao. 1676. inclita illa conuentio inter Equites et vrbes concepta et die 31. Decembris confirmata fuit, q) qua praeter alia in commodum praediorum equestrium recepta, regula quidem agnita: „*dass in Bierfachen keine possessio, als welche contra legem publicam prohibitiuam nicht erlanget werden möchte, statt finden könne, ersoglich die Frage, de iudicio possessorio summano vel ordinario, ganz umsonst, als dergleichen iudicia in solchen Sachen nicht angestellet noch darauf gesprochen werden könnte,*“ sed circa possessionem pendente lite, statutum, vt possessor praedii nobilis in possessione contra vicinas vrbes, si ante motam actionem per XXX annos, annum et diem quietam iuris cereuisiarii possessionem habuerit, defendere- tur, XX autem anni sufficerent in praediis extra milliare sitis.

p) Cf. Acta Comit. d. a. 1673.

q) C. A. p. 1649.

Applicatio autem huius legis tot difficultatibus pressa fuit, vt Elector IOANNES GEORGIVS III. per Resolutionem d. 15. Febr. 1688, suspensa hac conuentione, antiquiores solummodo leges ante annum 1676 latas in causis cereuisiariis valere iuberet.

§. 6.

Ab hoc inde tempore possessionum iura, non quidem legibus, sed iudicantium arbitrio, dubia fuerunt et incerta, quod inde factum arbitror, vel quia recessum de ao. 1675 in Codicem Augusteum non receptum ignorauerunt aut agnoscere noluerunt, vel quoniam opinati sunt, legislatorem tantummodo interdixisse possessionem clandestinam vel aperte violentam, vel quia leges provinciales duntaxat de Iure cogendi urbium intra milliare agere putauerunt. Inter alia huc pertinet exemplum Senatus Lipsiensis, qui vario modo vicinos pagos, Möckern, Wahren, Zschocher, Plagwitz, Kröbern, Kleeberg, Dölitz, Lindenau, Wiedritsch, possessionem coquendae et vendendae cereuisiae arripuisse atque per res iudicatas cum in illa tum in petitorio defensos esse, anno 1698 conquestus est. s)

Porro quum FRIDERICVS AVGVSTVS I. ad iura equitum disquirenda et ipsas causas braxatorias definiendas dirimendasque commissionem constituturus, eam ob causam rescriptum d. d. 19 Apr. 1721 emitteret, vrbes reliquis monitis a commissione perponderandis hoc adiunxerunt: „*dass die Possess, so ein oder der andere vor sich haben möchte, oder derjenige, so sich darin befindet, in Possessorio ein rechtskräftig Urthel vor sich hätte, hierbey gar nicht zu attendiren.*“ t)

s) Acta Comititalia d. a. 1722, vbi exemplum hoc memoratur. t) Ibidem.

In comitiis prouincialibus anno 1793 et 1799 habitis, vrbes proposuerunt: „Ihro Churfürstl. Durchl. möchten Dero Landes-Collegien und Dicasterien zu genauer Beobachtung des durch die L. O. v. 1555 erläuterten und bestätigten Mandats v. 9. Jul. 1551, und der darauf sich beziehenden neuern Gesetze, mit gänzlichem Wegfall des Possessorii summarissimi und ordinarii, gnädigst anweisen.“ u)

Certissimam quidem spem habuerunt vrbes, fore, vt noua lege huius argumenti res definiretur; at vero praediorum equestrium domini id ipsum a comitiis in comitia differendo, impedire studuerunt, cum, se monita sua contra legem futuram in proximis comitiis docere velle praetenderent, huic vero promisso non satisfacerent. Ipsum Regimen prouinciale inter vtramque opinionem fluctuare videtur. Sicut enim saepenumero pagis possessionem iuris braxandi arripientibus, nulla actuum possessoriorum ratione habita, exercitio huius iuris interdixit, ita nec desunt exempla, quibus contrariam secutum fuit opinionem. Cum enim, vt vnum idque recens allegem, quod Acta Comititalia de a. 1799 exhibent, per RESCRIPTVM d. d. 14. Noubr. 1799 iura praediorum equestrium Groitsch, Machern und Zschepplin pro demonstratis declararentur, atque ciuibus Ileburgensibus tantummodo „die rechtliche Ausführung gegen die für bescheinigt angenommene Befugnisse,“ praediorum dictorum reseruaretur, quid hoc aliud est, quam praedia equestria in possessorio tueri, donec vrbes in petitorio contrarium probauerint?

u) Acta Comititalia d. a. 1793. 1799.

§. 7.

Cum igitur ius cereuisiarium, postquam a legibus scriptis discessum est, negligentia supina, an ignorantia ac libidine non dixerim, ambiguum atque incertum factum est, operae pretium existimaui, rem ad trutinam vocare, legislatoris mentem inuestigare et genuinum sensum legum patriarum de iure cereuisiario exquirere: idque eo magis, quo certius nobis persuasum est, Principes nostros, iustitiae amantissimos, eam modo ob causam, ne aduersus praedia equestria iniqui viderentur, iura vrbium noua lege sancire, distulisse. x) Equidem sentio, idque palam testor, me eum non esse, qui iudex in tali causa, in comitiis territorialibus adeo disputata, sedere possit, velitne, ideoque hunc libellum neutri opinioni aut addere aliquid posse aut detrudere; tamen

x) Sic AVGVSTVS Rex, vbi consilium suum de constituenda commissione, quae de iuribus praediorum equestrium cognosceret, cum statibus prouincialibus communicauit, in *Landtags-Proposition d. d. 8. Febr. 1722. §. VIII.* „Wir wären auch allerdings sehr befugt,“ inquit, „durch eine nachdrückliche „Execution vorangeführter Landes-Ordnung der Sache ohne Weitläufigkeit „zu rathen. Alldieweil aber doch verschiedene Besitzer solcher neuerlichen „Malz- Brand- und Schenkhäuser zu Behauptung ihres vermeinten Befugnisses „ein und anderes vor sich zu haben glauben, und Wir eben so wenig Jemanden ungehörter Sache zu condemniren gemeint sind, als wir hergegen auch „nicht geschehen lassen können“ etc.

Principes Electores sub auspiciis imperii in Reuersalibus, quas vocant, promittunt: „Nicht zu gestatten, dasz irgend Jemandem in seinen wohlgegründeten Rechten und Freyheiten zu nahe getreten werde.“ Quare iustum videtur, vt in controuersiis publicis, quod legibus iam constitutum receptumque fuit, expendatur.

mihî temperare non potui, quin materiam hanc tractandam mihî sumerem. In hoc igitur libello, in quo disquirere constitui:

Num in Saxonia Electorali in litibus de iure coquendi et vendendi cereuisiam ortis, possessio siue antiqua siue nouissima respiciatur, atque possessorium siue ordinarium siue summarium locum obtineat?

pro viribus nostris exponemus argumenta et legitima et ex politia depromta, quae pro vtraque opinione militant: qua quidem occasione legum prouincialium, supra iam laudatarum, sensum atque rationem accuratius, quam in hac fatorum nostri iuris narratione fieri licebat, inuestigare studebimus.

S E C T I O I.

De argumentis, quibus nititur opinio: Possessorium summarium aequae ac ordinarium in causis cereuisiariis obtinere.

§. 8.

Videamus igitur primum argumenta, quibus praediorum equestrium domini contendunt, iura possessionis et nouae et antiquae in iure cereuisiario ipsis denegari nec posse nec debere. Quod vt accuratius fiat, in sequentibus capitibus nobis demonstrandum erit:

- 1) *Illam opinionem in genere in natura possessorii et remedium possessionis fundatam esse, eamque ob causam Iure communi in causis braxatoris contentiosis possessionem valere.* (PARS I.)
- 2) *Leges positivas Saxoniae Electoralis nequaquam a iure communi dissentire.* (PARS II.)
- 3) *Analogia aliarum iuris partium eandem opinionem comprobare.* (PARS III.)
- 4) *Ex aequitate idem statuendum esse.*

P A R S P R I M A.

§. 9.

Possessio multis praerogativis in civitate gaudet, quippe in qua vel maxime securitatis et tranquillitatis publicae ratio posita est; longa enim saepe est iuris disceptatio, necesse igitur est, vt possessio sancte custodiatur, neque aliqua vis exerceatur. Beati possidentes propterea dicuntur, quoniam, qui semel possidet, in possessione defenditur, nec petenti modum, quo illam consecutus est, vel titulum possessionis edere in regula tenetur. a) Remedia quoque et probationes, quibus tum ad conseruandam, cum ad recuperandam possessionem vtimur, tot ambagibus et difficultatibus circumseptae non sunt, quam quae in petitorio obueniunt. Id quod vel maxime propterea constitutum est, vt breui definiri possit, quis pendente lite possideat, quis in ipsa lite petitoris, quis possessoris partes sustineat, atque vt ne litigantes in vim priuatam erum-

a) ARC. et HONOR. IMPR. in l. 11. C. de petit. hered.

pan, manusque conserant. Cuilibet ciui electio datur, vtrum possessoria an petitoria actione vti malit, et cum saepissime ei, qui vel maximum ius habet, media probandi legitima deficient, quae in petitorio valent, etiamsi in possessorio abunde sufficiant, suadendum est, vt aduersario in petitorium reiecto, iure possessionis se tueatur. Quae cum ita sint, cur in causis braxatoriis controuersis incolae pagorum excludantur a remediis possessorii, cum per se iuris braxandi non incapaces sint, potius ex ipsa rei natura ius hoc ipsis competat, quippe qui cereuisiam coquendo, nihil aliud faciunt, quam vt rem materiamue sua opera et industria in proprio solo excultam in nouam speciem commodi sui causa mutant. Quamobrem iureconsulti magnae auctoritatis *b)* contendunt vel vno actu possessionem iuris braxandi adquiri. Sunt, qui in hoc loco principia de regalibus applicare studeant, sed quis quaeso Ius braxandi inter regalia ponere audeat? Fuerunt quidem Icti, *c)* qui aut ipsum quaestum cereuisiarium, aut saltem potestatem priuilegia iuris cereuisiarii tribuendi pro regali habuerunt, eumque a principe in vrbes translatum existimant; verum enim vero neque ex rationibus Superioritatis Territorialis, neque ex natura regalium vtilium, (cuius generis illa iura sunt, quae vel expressa conuentione, vel tacito consensu populorum ad ferendas Imperii impensas Principi competunt) defendi potest, quaestum braxatorium pro regali esse habendum. Et quamuis principi potestas moderandi rem cereuisiarum in commodum ciuitatis denegari nequeat, in eo tamen

b) OTTO TABOR *de iure cereuisiario*, P. I. c. 2. §. 9.

c) Quos nominauit SCHROEFFERS in *Tr. de iure braxandi*, P. I. c. 1. no. 50.

nonnisi effectus Supremae Inspectionis cernitur. Propterea vero quaestus braxatorius non magis regalis qualitatem assumit, quam quaestus opificum licet Princeps etiam hunc ex salute publica limitibus circumscribat. Cum igitur cereuisiae confectio pro regali haberi nequeat, nemo dubitabit, Iure communi in causis braxatoriis contentiosis possessorium valere atque remedia possessoria exorta disceptatione recte adhiberi.

P A R S S E C V N D A.

§. 10.

Fieri potest, vt ex legibus prouincialibus alia iura valeant, videamus nostra. Sunt igitur, qui negent, constitutionem et leges Saxoniae rusticis et possessoribus praediorum equestrium per se et qua talibus quaestu braxatorio interdictum esse, etiamsi ille proprie pro quaestu ciuico habeatur. ORDINATIO PROVINC. d. a. 1482. quae vrbibus hoc genus industriae tanquam peculiare reseruauit, praedia equestria, quae cocturam cereuisiae vltra hominum memoriam exercuerunt, atque ius suum vel per praescriptionem, vel per priuilegium legitimo modo adquisierunt, tuetur. Et quamuis nihil de possessorio in ea lege sancitum deprehendimus, hoc tamen in posterioribus factum est. Ad quas explicandas priusquam accedamus, praemonendum est, cardinem totius rei in ORDINATIONE PROVINC. d. a. 1555, vtpote ad quam reliquae leges semper sese referunt, veri, et ipsius litis inter vrbes et pagos agitatae decisio potissimum ex illa haurienda videtur. Cum autem Ordinatio dicta quaestionem de possessorio non disertis clarisque verbis definiat, interpretatione opus est:

quae autem ita adhibenda videtur, vt a principiis iuris communis tam parum, quam fieri potest, recedamus, a studio partium abstinemus, memoresque sumus, in paritate iurium et libertate quaestuum salutem ciuium quam maxime contineri. Quibus praemissis ipsam Ordinationem prouinc. d. a. 1555 disquiramus vna cum legibus posterioribus, vt intelligamus opinionem supra positam defendendo,

- a) In genere ex legibus Saxonis possessorium in causis braxatoriis controuersis obtinere,
- b) in specie Possessorium summarium atque ordinarium locum habere.

§. 11.

ad a) In genere in litibus super quaestu cereuisiario inter vrbes et praedia equestria ortis possessio respicienda est.

CONSTITVTIO PROVINC. d. a. 1555 ita audit:

„die von der Ritterschaft und andere Kretzschmar im Lande, so des Brauens und Schenkens wollen befugt seyn, mit der Beweisung nicht eher sollen beladen werden, sie werden denn von den Städten oder andern deswegen angefochten. Aber auf denselben Fall soll kein langwieriger Proceß vorgenommen etc. — Es sollen aber gleichwohl diejenige, so des Brauens oder Schenkens in Gewähren oder Gebrauch seyn, dabey bis zu Erörterung der Sachen bleiben“ etc. Quorum verborum sensus, quo magis clarescat, respiciendum est ad id, quod supra diximus, multos nimirum ex equitibus et rusticis, quaestum braxatorium exercuisse. Qui cum ipsis absque causae cognitione nullo modo eripi posset, nec tamen onus probandi, priusquam actione ab oppido aliquo mota peterentur, eis iniungendum

videretur, constitutum est, vt quiete possiderent, „bis sie angefochten würden.“ Haec verba autem non alium sensum habere possunt, quam „donec coram iudice competente in petitorio ab vrbe aliqua actio contra ipsos institueretur.“ Haec igitur sanctio priori opposita, qua praediorum equestrium possessores ius suum aut coram Regimine Principis aut coram Commissione demonstrare iussi fuerant. Regula tamen inde intelligitur, possessorem praedii equestris in lite cereuisiaria onus probandi subire oportere. At vero ad alteram dispositionem Ordinationis prov. prouocare poterunt, qui in possessione defendi cupiant. Ait legislator: „diejenigen, so des Brauens oder Schenkens in Gewähren oder Gebrauch seyn, sollen dabey bis zu Erörterung der Sache bleiben.“ Quae sanctio praediorum equestrium possessoribus omnino iura possessionis tribuit, quid igitur impedit, quo minus ad tuendam possessionem remediis legitimis vtantur? Haec non potest non esse mens legislatoris, alias enim statueretur, equites quotiescunque ab vrbe aliqua turbati essent, statim petitorium instituere atque probationis onus in se recipere coactos fuisse, a quo vero lex ipsos liberare voluit, donec vrbs aliqua actionem in petitorio contra ipsos instituisset. d)

d) Forma processus haec fuit. Si Eques aliquis possessorium vel summarium vel ordinarium elegerat possessionem ad tempus retinuit, donec petitorium institutum atque sententia de eo lata esset. Verum si Vrbs primum arenam ingressa petitorium instituerat, longe alia fuit processus forma, sicut colligere licet ex Edicto Ioh. Georg. II. d. 51. Decbr. 1676 in C. A. T. I. p. 1654. Per inhibitoriales enim non tantum braxationis exercitium interdictum, sed simul praedio equestri

Porro contendunt, qui pro praediis equestribus pugnant, in posterioribus legibus nihil contineri, quo Possessorium in rebus braxatoriis plane abrogatum fuerit. Per verba Recessus d. a. 1670, quae contraria videntur: „dafs die von den Turbanten zu ihrem Behuf etwa anziehenden actus clandestini oder turbatiui hierin pro possessorii nicht gehalten, noch darauf reflectirt werden solle“ tantummodo Iuris communis dispositionem in Saxonia confirmatam fuisse, scilicet per tria vitia clandestinitatis, vis et precarii, possessionem vitiosam fieri. Quamvis enim Elector in Recessibus d. a. 1673 et 1676 expresse, actus possessorios pro vitiosis et turbatiuis ipso iure aestimandos, nec vllam eorum in sententiis ferendis rationem habendam esse, his verbis „die zu dessen Behuf anziehenden actus pro vitiosis et turbatiuis ipso iure gehalten und in keinerley Weise attendirt, dieses auch von den Rechts-Collegiis in sententionando in Acht genommen etc.“ e) nec non: „dafs in Brau- und Schenkgerichtigkeits-Sachen, wenn Prozesse darüber angesponnen werden — diefalls auf keine Possess erkannt, auch alle actus, so dargegen angezogen werden möchten, pro clandestinis et turbativis (nicht weniger als in Jagd und anderen in der L. O. verbotenen Sachen geschieht) schlechter Dinge

impositum est, vt doceret se morem inhibitorialibus gessisse. Ex ipsis formalibus processibus sequi igitur videtur, verba Ordin. provinc. „sie sollen im Besitz bis zu Erörterung der Sachen bleiben“ olim minime de possessione, durante petitorio, retinenda, intellecta fuisse.

e) Recess. d. a. 1673. in Mosen l. l. p. 150. nec non in Exemplo Lipsiensi Actorum Comit. h. a.

geachtet — werden sollen“ f) praeceperit, attamen in fauorem Equitum hoc allegari potest. Atque

a) vt primo loco Recessum d. a. 1673 attingamus, disquirendum

aa) de *quibusnam rebus* ille agat, et *quatenus* vi legali gaudeat?

§. 13.

ElectoR IOANNES GEORGIVS II epitomen huius Recessus cum Iudicio Appellationis Dresdensi per Rescriptum d. d. 8. April. 1673 communicauit g). Cuius verba initialia si accurate perpendis „wegen Einfuhr und Schenkung fremder Biere“ illisque adiicis RECESSVM COMITORVM d. a. 1670, vbi de detrimento, quod ex tabernis clandestinis aerario imminet, sermo est; denique cum vtroque loco literas patentes d. d. 15. Mart. 1675, ad Magistratum Dresdens. missas, coniungis, in quibus verba „*dass der Rath und allgemeine Bürgerschaft allhier gebeten, den eingerissenen Mißbräuchen zu steuern und alle unbefugte Winkelschenken in der Stadt, den Vorstädten und innen der Meile gänzlich abzuschaffen,*“ si, inquam, haec omnia coniunctim perponderaueris, persuasum tibi habebis, per Recessum saepius commemoratum de a. 1673 solum *extranearum cereuisiarum importationem et tabernas* in detrimentum aerarii, *sine concessione*, ex mero arbitrio constitutas prohiberi. Quamobrem contendere possumus, in rebus braxatoriis iura possessionis plane abrogata non fuisse. Quae quidem interpretatio sicut cum iuri-

f) RECESS. d. a. 1676. in C. A. T. I. p.

g) Transcripsimus hunc Extractum atque calci huius libelli adiecimus.

bus praediorum equestrium et pagorum, per Ord. prov. d. a. 1555 conseruatis, consentit; ita Equites et pagi contra extensiuam interpretationem illius recessus, iterum iterumque in comitiis 1676. 1682 et 1687 pugnarunt. Exinde facile concludi potest, per Recessum de a. 1673, cui quidem tanquam Palladio vrbes semper confisae sunt, nihil constitutum esse, quo possessorium in causis braxatoriis prohibitum dici possit. 2

§. 14.

bb) Sin, ommissa illa interpretatione Recessus dicti, ex sententia urbium, extensiuam uti malimus, duplex cogitari potest:

αα) Elector declarauit: „quoties aliquis ex praediorum equestrium possessoribus aduersus vrbes ad possessionem prouocaret, hanc ex praesumptione iuris pro vitiosa habendam esse.“

Iam vero experti iuris est, aiunt equites, praesumptionem iustae possessionis cuique alii praesumptioni praeualere. Nec minus constat, affirmanti incumbere probationem. Sed Recessus laudatus praesumptionem, quae in regula ex facto possessionis pro eius iustitia enascitur, et qua iure communi in causis braxatoriis etiam possessores gaudent, in Saxonia sustulit, ab urbibus onus probandi, possessionem praedii equestris vitiosam esse, licet affirmanti in regula probatio incumbat, deuoluit, atque ipsa praedia equestria ad editionem tituli coëgit.

ββ) Altera, quae fieri potest, interpretatio, haec est: Legislatorem constituere voluisse, ut quoties praedium equestre ad possessionem atque certos actus possessorios prouocaret, vrbes vero eam vitiosam dicerent, haec exceptio vltiori probatione non egeret, sed vitia pro incontinenti liquidis haberentur. Postre-

mae autem interpretationi hoc obstare videtur, quod absonum est, factum aliquod (vis autem et precarium semper praesupponit factum aliquod) sine probatione, quasi probatum fuerit, pro vero habere.

Siue hanc, siue illam interpretationem amplectaris, apertum tamen est, legislatorem in causis cereuisiariis Possessorium non abrogasse, sed potius normam, in possessorio litium braxatoriarum causa instituto, obseruandam praescripsisse. Ex accurata illius Recessus perscrutatione magis elucescit, Principem nil nisi antiquae Ordin. provinc. vim firmare voluisse, per quam vero, ut supra videre licet, possessorium in litibus super iure coquendae et vendendae cereuisiae ortis, disertis verbis fundatum est.

§. 15.

β) Recessus deputationis d. a. 1676 aduersus equitum postulataclare pugnat, ita ut ipsis verbis prohibitio omnium actionum possessoriarum inesse videatur. At vero haec lex per Resolutionem Electoris Ioannis Georgii II. d. d. 5. Febr. 1688 h), quae conventionem de causis cereuisiariis initam abrogauit, sequentibus verbis, correctafuit: „dass keine neue Klage aus gedachter Convention „inzwischen erhoben würde, diejenigen Klagen aber, so aus denen Land- „desordnungen und vor a. o. 1676 erfolgten Constitutionibus, Pactis „et Privilegiis hievor bereits angestellt, oder ferner angestellt werden wollten, ungehindert und frey seyn sollten.“

Etenim e connexitate cum illa conuentione omnino vna cum

h) in C. A. T. I. p. 361.

hac et ipse recessus auctoritatem suam amittere, imo tolli debuit. Princeps enim, cum solummodo per concordiam Equitum et vrbium, de possessorio coercendo in comitiis ao. 1676 consentientium, vt hanc legem tanti momenti ferret, permotus esset: postquam ex monitis et propositionibus, ab ordine equestri aduersus hanc conuentionem creberrime motis, discordiam potius inter ordines illos obtinere, atque maximum damnum Nobilibus aliisque braxantibus in pagis inde imminere, cognouit, conuentione ipsa sublata, simul Recessum d. d. 15. Febr. 1676. tam arcte cum illa coniunctum, non potuit non abrogare.

§. 16.

Supersunt vero de vi atque applicatione legum laudatarum nonnullae animaduersiones generales, quibus illae intra iustos fines coerceri atque Equitum iura ex ipsorum opinione defendi et augeri posse videntur.

1) Dubitare possis, num praeter Ordinat. provinc. d. a. 1482 et 1555. aliae adhuc leges praesertim Recessus Comitiorum, in nostra quaestione controuersa tanquam norma proponi possint? Resolutio d. a. 1688, praeter Pacta et Priuilegia, ad *Constitutiones*, quae ante 1676 prodierunt, respici iussit. Sed maxime incertum est, num sub illis *Constitutionibus* intelligendi sint Recessus comitiorum prouincialium atque Deputationis? Pendet haec significatio ab vsu loquendi temporum illorum, quibus *Constitutiones* denotabant eas leges, quas ao. 1575. Gimel Bergen Drésdaë typis excudendas mandauit: in hanc vero collectionem Recessus d. a. 1670 et 1673 non receptos fuisse, quis est qui non videat?

In genere Recessus Comitiorum ex nostrae prouinciæ formula non est lex priuata, sed concernit vel tantum vectigalia a statibus prouincialibus decreta, vel cauet in illo Princeps, se nostram constitutionem incolumem conseruaturum esse: quapropter Recessus comitiorum neque leges priuatae dici, neque principia in definiendis causis priuatis exinde peti possunt.

§. 17.

2) Illas leges laudatas, tantummodo ad praedia equestria intra milliare sita referendas esse ex sequentibus argumentis contendi possit.

a) Antiquissimis temporibus cum adhuc quaestus ciuiles a cuiusque arbitrio penderent, mox apparuit, vrbes nimis propinquas, sibi inuicem damnum inferre. i) Proinde aedificandis iis limites constituti sunt, atque inualuit, vt vrbs ab vrbe certe vno milliari distaret, vrbusque ius concederetur prohibendi, quo minus pagi intra milliare quaestus ciuicos et inter hos etiam venditionem cereuisiae, ab ipsis coctae, exercerent. Qui vero extra milliare siti erant pagi, nullis limitationibus circumscripti erant. Quod autem ius et quae consuetudo de quaestibus ciuicis in genere valuit, id etiam pro rei natura de braxatione valere debuit. Hanc ipsam consuetudinem, neque quidquam aliud praeterea, k) Principes Ernestus et Albertus ao. 1482 confirmarunt, Ius illud

i) SPEC. SAX. Lib. III. a. 66. ibique Glossa.

k) cf. verba initialia ORDIN. PROVINC. d. a. 1482 in C. A. T. I. p. 1.

MENKEN. Diss. l. de iure prohibendi cereuisario et cet §. 37. 38.

prohibendi, quo vrbes intra milliare ex consuetudine gausae erant, lege scripta munientes. Leges omnes posteriores, ad ordinationem laudatam de ao. 1482 sese referentes, cum haec solummodo de iure prohibendi intra milliare agat, nec ipsae latius extendi possunt. Etiamsi igitur concesserimus legibus antiquis Possessorium vere abrogatum esse, nihil tamen exinde aduersus pagos extra milliare sitos sequeretur: vtpote de quibus Ius commune valet.

Id quod adhuc certius fit, si cogitamus,

b) Legislatorem ipsis verbis Recessus d. a. 1670 tantummodo pagos intra milliare sitos denominasse.

Litterae enim patentes supra §. 13. laudatae, narrant: Senatuum Dresdensem prohibitionem omnium tabernarum non priuilegiatarum in vrbe ipsa suburbio atque intra milliare sitarum, impetrasse. Ipsa verba Electoris inspiciamus: „*wie nun die Stadt Dresden in diesem ihrem Suchen, die Landes-Ordnung, die erörterte Landesgebrechen, ihre confirmirte Statuta, und die Landtags Abschiede von 1666 und 1670 überall für sich hat — und die Landschaft sowohl bey allgemeiner Landesversammlung in a. 1670 als jetzt instehenden Landtag unterschiedlich — deswegen erinnert — so soll alles fremde Bier-Einlegen und Schenken in der Stadt und Vorstädten auch innerhalb der Meile bey der in der L. O. und der E. d. L. G. d. a. 1661. S. 126. ausgedruckten Strafen durchaus abgeschafft und eingestellt werden.*“

Atqui ipse Princeps, qui tantummodo intra milliare in pagis atque tabernis priuatis cereuisiam coqui vendique vetuit, cum ex legibus antiquis et ordinationibus prouincialibus Recessibusque

hoc ita sanxerit, leges hasce restrictiue interpretatus est. Ergo nec nostrum est, extensiua interpretatione vti.

Accedit

c) ipsa vrbium confessio, quae cum Priuilegia sibi expeterent, praeter Ius cogendi intra milliare nil aliud consequi voluerunt. Exinde colligere licet: primo loco, vidisse vrbes, se per ipsam Ord. prov. d. a. 1482 non satis tutas esse, sed peculiaribus priuilegiis opus esse; secundo loco vero, eas nihil aliud praeter ius prohibendi intra milliare cupiuisse, quo satis clare demonstrarunt, quomodo leges prouinciales intelligi vellent. Exempli gratia prouocamus ad Resolut. Grauum. d. a. 1661. Tit. Von Just. Sach. §. 124—129. et §. 141. 148. 150. 151. Si vero vrbes illud Ius prohibendi vltra milliare extendi voluissent, etiam hoc simul petiissent. Tum Equites, quorum tantum intererat, non adquievisissent, sed in ipsis comitiis contradixissent, vrbes vero ad iura sua conseruanda omni studio egissent: atque sic certamen ortum esset, cuius vestigia in locis modo laudatis occurrerent, praesertim cum ibi agatur de priuilegiis vrbium Lipsiae, Vitebergae, Zwickauiae, Fribergae, quae in arctiori deputatione (*engern Ausschluss*) constitutae, sicut omnium rerum in comitiis gestarum perfectissimam notitiam habent, ita nec hanc altercationem ignorassent, si vere vnquam de iure cereuisiario vrbium vltra milliare extendendo cogitatum atque certatum fuisset.

d) Etiamsi anno 1675 Scabinatus Lipsiensis Ablegatis ad deputationem vrbium arctiorem suasit, vt de iure cereuisiario intra milliare non coercendo, sed illimitatum reddendo laborarent,

quoniam tamen frustra hoc susceptum est, potius contra vrbes, quam pro iis argumentum inde peti potest. *m)*

Ex hisce omnibus non sine vlllo fundamento concludi potest, si quid in Legibus Saxonice abrogationem Possessorii in causis braxatoriis innuere videatur, solummodo certe de pagis intra milliare sitis, hoc valere.

§. 18.

Hisce argumentis, vt insuper aliud adiciamus ex vsu fori atque rebus iudicatis petitem, euoluamus *CARPZOVII formulas pronunciandi c. 16. a. 12.* Sententia ibi commemorata quamuis non lata est ad actionem in possessorio motam, cum tamen, vt supra §. 11. not. d. diximus, quoties vrbs aliqua contra pagum in petitorio experiretur, huic omni exercitio braxandi statim ab initio per praecepta poenalia interdiceretur, necesse est, existumemus, in illa specie a Carpzouio commemorata quietam possessionem a reo demonstratam fuisse atque Dicasteria nostra, quando possessio quieta appareret, eam sententia lata tueri solita fuisse: et sic in causis cereuisiariis possessorium in nostris foris vsu receptum esse.

Maioris momenti est illa sententia tribunalis Halensis, quam transscripsit Schöpferus, *n)* ad quam vel nos prouocare possumus, cum in terris Magdeburgicis ratio rerum braxatoriarum ei, quae in nostra patria obtinet, plane similis sit.

m) MENKEN *Diss. de iure prohibendi cereuisiario ciuitat.* §. 36.

n) *de iure braxandi P. I. c. 2. n. 203.*

Praesertim vero in Saxonia vsus fori a REGIMINE SUPREMO PROVINCIALI receptus interpretationem legum genuinam docet. Si vrbs videlicet contra possessorem praedii equestris vel villae ex Ordin. prouinc. d. a. 1555. braxationis causa actione experitur, reus primo loco auditur: dein vero, si ad jus quouis modo, legitime quidem adquisitum, exceptionibus tamen adhuc obnoxium, vel ad praescriptionem immemoriam prouocat, simul autem ope indicum vectigalium (*Tranksteuerregister*) attestatorum, et apocharum, vel duorum testium depositione tres saltem actus possessorios intra 31 annos 6 hebdom. 3 dies, ex quibus initium, medium et finis possessionis elucescit, demonstrauit, nec vrbs actus interruptae possessionis contrarios docuit; — Praedio per Decretum Regiminis, quod vocant interimisticum, possessio reseruatur, vrbi solummodo reseruata probatione solempni iuris prohibendi.

§. 19.

Postquam igitur ex Iure Saxonico secundum opinionem Equitum probauimus possessorium in genere in causis braxatoriis obtinere, iam eundem in modum, vt partes praediorum equestrium defendere videamur,

b) ad Species Possessorii, ordinarium puta et summarium transeamus, ita quidem vt primum

a) DE POSSESSORIO SVMMARIO agamus.

Constituunt quidem Interdicta Romana, quibus continentur principia doctrinae de possessione atque de processu possessorio, vt possessio sit iusta.

„Perpetuo autem hoc Interdicto insunt haec, quod nec vi, nec

„clam, nec precario ab illo, possides l. 1. §. 5. D. *uti possidetis*.
 „Ille vincat in re soli et in re immobili, qui possessionem nec vi,
 „nec clam, nec precario ab aduersario possidebat.“ l. 4. I. de
Interd.

Sed HOMMELIUS ^{o)} docuit, Interdicta Romana ad Possessorium ordinarium referenda, neque ad vitia, etiamsi in continenti liquida, in lite de nouissima possessione respiciendum esse: quam opinionem auctoritate Ictorum imo rerum iudicatarum confirmavit. Quapropter etiamsi vrbes ex legibus de ao. 1670 et 1673 actus possessorios pagorum pro vitiosis, et ipsa vitia pro incontinenti liquidis declarare velint, attamen hac exceptione in isto processus genere vi eam potissimum ob causam iis non licet, quia Iure Saxonico electorali ad instituendum possessorium summarium praeter possessionem iuris quietam vnus anni, ex natura rei aestimandam, nihil amplius requiritur. At possessio quieta plane differt a iusta, atque in eo consistit, vt rem vel ius vltimo anno, aduersario tuo non contradicente, certe contra te intra illud tempus actione non mota, possederis. Praedio igitur, quod per annum, nulla vicinae vrbis actione intercedente, quiete ce-reuisiam coxit atque vendidit, in possessione denique turbato, non dubium est, quin possessorium summarium detur. Gra-yamina vero, in comitiis prouincialibus ad coercendam praediorum equestrium braxationem mota, nullo modo quietam praediorum equestrium possessionem interrumpere videntur, quia partim non sunt actiones, partim tam generaliter concipiuntur, vt singulare aliquod grauamen contra certum ac definitum prae-

^{o)} In *Rhaps. Observ. obs.* 178.

dium in iis inuenire nequeamus. Sane hoc vltiori demonstratione non eget: alias enim quaeque declaratio indeterminata aduersarii possessionem quietam dominantis interrumperet, nec quisquam possessionem iuris sui acquireret quietam. Accedit et hoc, quod ipse legislator Saxo pluries de eiusmodi grauaminibus generalibus vrbium monuit, vagas istas interpellationes non respici posse, vrbes potius actiones contra illos, a quibus se turbatas putarent, in ipsorum foro competente, instituere debere.

§. 20.

Sed ponamus, in possessorio summario vitiorum in continenti liquidorum rationem haberi, pro certo tamen habemus

- aa) ab aduersario ipso vitiose possideri debere,
- bb) necesse esse, vt vitia vere adsint, atque cogitari probarique possint.

Ad aa)

Possessio clandestina et violenta vel precario acquisita non per se vitium est, sed possessori tunc tantum nocet, si is, qui exinde damnum sentit, et cuius interest, ipse reus (s. aduersarius) est, si res ipsi reo vi rapta fuit, vel actor rem precario ab ipso reo accepit. Contra

ex lege I. §. vlt. D. vti possidetis: „Siquidem ab alio, (scil. vitiose possidet) prosit ei possessio, sin vero ab aduersario suo, non debeat eum propter hoc, quod ab eo possidet, vincere. Has enim possessiones non debere proficere, palam est,“ et ex lege vlt. D. de acquir. t. amitt. poss. „aduersus extraneos vitiosa possessio prodesse solet.“

Cuius rei illustrandae gratia hoc exemplo utar. Quodsi praedium equestre potestatem braxandi ab oppido certo, quod litera A. indicabimus, vel vi, vel precario adquisiuerit, aduersus hoc quidem, cum vitium in continenti liquidum sit, possessorium summarium locum non habebit; profecto autem contra *aliam* qualemcunque urbem turbantem: cum, licet possessio per se vitiosa videatur, ea tamen prosit aduersus *extraneos*. Nescio igitur, quonam iure praeter urbem A. reliquae urbes contra praedium dictum in possessione iuris cereuisiarii constitutum gravamina in comitiis mouere possint, cum respectu ipsarum possessioni nullum vitium adhaereat: nonne potius in possessione defendendum erit? Vel si oppidum B. coram Regimine prouinciali illud praedium denunciauerit, hoc autem nouissimam suam et quietam possessionem demonstraerit, num regimen aliter quam in fauorem praedii possidentis decidere et pronunciare poterit? Quid ergo? Nonne hoc est exemplum possessorii summarii in causis cereuisiariis necessario obtinentis?

§. 21.

Ad bb)

Difficile semper erit urbibus, praedia equestria vitiosae possessionis arguere atque conuincere. Rarissimi enim sunt in patria nostra violenti impetus, neque facile obueniet exemplum possessionis iuris braxandi alicui urbi a praedio equestri vi ereptae. Vitium clandestinitatis porro pro natura rei in possessione huius iuris obuenire nequit, cum facta, quibus illud ius exercetur, occultari non possint. Precario denique ut praedium

equestre possessionem iuris braxandi ab aliquo oppido acquirat, fieri quidem potest, sed non veri simile est, cum propter curam, qua vrbes ad iura sua conseruanda vigilant, tum propter inuidiam, quam erga praedia equestria fouent. Quae cum ita sint, quoniam inter omnes constat, ex vitiiis possessionis, non in continenti liquidis, nullum actori praeiudicium oriri, multo magis possessorium summarium in causis braxatoriis controuersis obtinebit, quippe in quibus vitia possessionis et pro rei natura et pro experientia occurrere vel non possunt, vel non solent.

Ex illis, quae diximus, colligere licet, possessorium summarium in causis cereuisiariis obtinere. Etenim in possessorio summario de vitiiis possessionis vel quaestio esse non potest, vel potest. Si prius, frustraneae sunt omnes vrbiuum querelae atque exceptiones, vtpote huic generi processus haud consentaneae; sin posterius, primum disquiri debet, vtrum actor (praedium equestre puta) vere vitiose possideat; dein, vtrum ab aduersario (vrbe rea) vitiose possideat? Si vel omnino non laborat vitio vis, precarii et clandestinitatis, vel si vitio non in continenti liquent, vel si actor vitiose quidem, sed non ab aduersario possidet; conseruanda ipsi est nouissima possessio.

§. 22.

β) POSSESSORIVM ORDINARIVM locum habet

1) Secundum Ordinatum. prouinc. d. a. 1555.

Sicut in Possessorio summario sola quaestio est, quis vltimo anno quiete possederit, atque is, qui actus possessionis non turbatae probauit, siue vitiosi illi sint, siue nullo vitio laborent,

possessionem momentaneam retinet: sic illi, qui non ultimo quidem anno possedit, cuius vero possessio antiquior et melior est, quam vel clam, vel vi, vel precario amisit, remedium ad recuperandam possessionem competit, scilicet *possessorium ordinarium*, in quo de iustitia possessionis disquiritur.

Supra iam exposuimus, in Ordin. prov. d. 1555, Possessorium fundatum esse: quae lex optime ad possessorium ordinarium adplicari potest. Probatio ipsius iuris enim secundum verba legis ante litem ab vrbe in petitorio motam praediis equestribus pagisque minime incumbit.

Iam vero si ponamus, praedium aliquod possessionem suam quouis modo amisisse, ita vt per Possessorium summarium eam recuperare, cum in hoc tantum de possessione ultimi anni quaeratur, non sperare possit; omnino ordinario locus esse debet. Nam ad Petitorium instituendum non tenetur, cum in hoc oneri probationis se subiicere coactus sit: ab hoc vero illud immune esse Legislator vult, donec ab vrbe per actionem petatur. Cum igitur Possessorium summarium instituere non possit, ad petitorium vero cogi nequeat praedium equestre, nihil praeter Possessorium ordinarium superest.

§. 23.

2) Secundum Recessus d. a. 1670 et 1673.

Supra monuimus in Possessorio ordinario de eo, num iusta possessio sit, nec ne, disputari, et vltimum possessorem, vitis possessionis suae probatis, possessione deiici. Quae cum iure communi sancita sint, in Saxonia idem de quaestu cereuisiario

per recessum comitalem d. a. 1670 constitutum, atque Dicasteriis commendatum fuit, ne in fauorem eius iudicarent, qui quidem actus possessorios, sed turbatiuos et clandestinos demonstrasset. In regula affirmans probare debet; proinde etiam is, qui alterius possessionem vitiosam dicit. Quum tamen is, quem praesumptio iuris adiuuat, ab onere probationis immunis sit, in Saxonia autem vrbibus, quibus confectio cereuisiae tanquam quaestus peculiaris dicatus est, eiusmodi praesumptio faueat, necessario oriri debebat pugna huius praesumptionis cum altera, quae ex facto possessionis pro eius iustitia militat. Elector igitur anno 1673. constituit, vt si vrbes praediis equestribus, in possessorio ordinario possessionem antiquiorem et meliorem suam dicentibus repetentibusque, exceptionem possessionis vitiosae opponerent, haec nulla probatione egeret, sed possessio ipso iure pro vitiosa haberetur, videlicet donec probaretur contrarium. Quo facto actor coactus est non tantum antiquioris suae possessionis titulum edere, sed etiam docere, vrbis recentiorem possessionem vitii laborare; id quod quidem difficile probatu est, sed tamen perfici potest: v. c. edendis consignationibus rerum ad praedia emta pertinentium (*Kaufanschläge*) attestatis aerarii vectigalium eius, quod *die Tranksteuer* vocatur, vel si probas, te ius per 31 annos 6 hebd. 3 dies exercuisse. Quem vsum fori apud Regimen prouinciale obtinere, supra narrauimus.

P A R S T E R T I A.

Inter omnes constat, instituta iuris clariori luce apparere, si secundum analogiam cum alio simili comparantur. Multis ex rationibus similitudo intercedit inter Ius braxandi vrbium atque Ius venandi, atque ipse Recessus d. a. 1676 in C. A. T. 1. p. 359. vtrumque ius pari passu ambulare dicit. Quae lex etiamsi quoad partem dispositiuam abrogata est, potest tamen inseruire illustrandae opinioni, ius venandi et ius braxandi instituta analogae esse. Atqui Decis. nov. 4. d. a. 1746 sanxit, vt in causis venatorii inter priuatos possessio decennalis ad possessorium instituentium sufficeret; ex analogia igitur atque ratione nostrarum legum haec dispositio etiam in causis braxatoriis valere debet: certe adiuuatur opinio, possessorium in causis cereuisiariis locum obtinere.

§. 25.

Expositis argumentis iuris, accedunt alia politica atque ex aequitate desumpta, quae quantum detrimenti respublica capiat, possessorio in causis braxatoriis plane sublato, docent.

1) Equites atque pagi, si ad iuris probationem cogerentur, multi eorum damnum irreparabile absque sua culpa sentirent.

Concessionones speciales Principis ad probationem necessariae, vel nunquam, vel certe non intra breue spatium in Ordin. prov. ad probationem praescriptum, proferri possent, cum illa documenta bello, incendio, interitu familiarum aliisque calamitatibus

perierint. p) Si autem illi Ius suum ex praescriptione immemoriali deducere vellent, eiusmodi probatio difficultatibus inuincibilibus saepe impediretur, cum vrbes confestim exciperent, terminum praescriptionis (a quo) ante annum 1676 ponendum esse, a quo retro computari deberet. Quae probatio cum absolui non posset, sequeretur

a) damnum irreparabile Equitum, quippe quibus per sententiam auferendum esset Ius coquendi et vendendi cereuisiam, quod, praedia equestria ementes et in consignationibus rerum ad praedium pertinentium et tradendarum (*Kaufanschlag*) notatum deprehendentes, pro graui pretio simul emerunt. Quo facto plures gentes nobiles, cum praesertim ob longitudinem temporis ad venditores regressus non pateret, multa millia thalerorum amitterent. Quod damnum eo maioris momenti est, quo magis Nobilis a pluribus quaestibus ciuicis arcetur. q)

b) Ex interitu ordinis equestris et inopia familiarum nobilium vero reipublicae maximum detrimentum imminet. Ipsa Equitum monita, quibus in Comitiiis 1722 vsi sunt, audiamus: „Manche Besitzer der Rittergüter würden die auf solchen habenden Ritterpferds Dienste, oder die sonst darnach repartirten Abgaben, die Schöcke, Quatember und andere Onera zu erlegen sich unfähig sehen.“

p) Hoc argumentum descripsimus ex „der Ritterschaft übergebene Schrift wegen der Brauberechtigung in Actis Comitiorum prouinc. d. a. 1722.

q) In libello laudato Equites in comitiis 1722 dixerunt: Sie hätten nicht soviel Gelegenheiten des Erwerbs durch Kaufmannschaft, Feder etc. — und müßten doch mehr Depensen machen.

2) Etiam si concesserimus legum antiquarum sensum pro viribus atque contra adserta Equitum pugnare, attamen principia artis oeconomicae publicae ab hoc inde tempore admodum mutata sunt, ita ut, quae ex antiquitate adhuc supersint, paulatim tollere, prudentis legislatoris sit, ne constitutio ex partibus disparibus atque contradictoriis composita, tam male cohaereat, atque ipsa res publica inde detrimentum capiat. Cum adhuc feuda Nobilibus solis reservata fuerunt, una cum reliquis civici quaestus generibus confectio cerevisiae solis civibus assignari potuit, ut sic paritas inter ambos ordines conservaretur. Nostri autem temporibus, quibus praeter Nobiles etiam civibus feudorum adquisitio permissa est, ratio legis deficit, inde etiam effectus paulatim evanescere debet. Et quamvis quaestum braxatorium ex nostrae reipublicae forma pro re merae facultatis declarare non volumus, (quisque enim in iure suo legibus et consuetudine adquisito defendendus est) id tamen cupimus, ut, cum veterum legum verbis literisque r) insistere hodiernae civitatis nostrae formae non consentaneum sit, principia artis oeconomicae sanioris, quae paria ordinum iura atque libertatem quaestuum civium

r) A nobilibus reprehendi nequaquam timemus, nomine eorum, verba legum stricta ipsorum assertis obstare, contentes: ipsi enim in comitiis 1722 aiunt: „Zu geschweigen, dass sich in nächsten Jahrhunderten die Zeiten „und zugleich die Nahrung gewaltig geändert, so dass die vormaligen nach „Beschaffenheit selbiger Zeit promulgirte constitutiones nach deren buchstäblichen Inhalt anjetzo in vielen Stücken nicht mehr zu exequiren sind.“

suadent, subinde sequamur, certe vbi iam radices egerint, non euertamus.

§. 27.

Experientia docet, per concursum producentium in republica ingenia acui, et res manufactas ad maximum perfectionis gradum euehi, contra per monopolia industriam supprimi. Sic, ordinibus Equitum et Ciuium concurrentibus, oppidanus cogitur cereuisiam meliorem coquere, quam fecisset, si emtores se inuenturum esse certus fuisset: cui argumento eo plus ponderis tribuendum est, quo probabilius videtur, quaestum braxatorium ciuium minus per praediorum equestrium conatus, quam propter peiorem cereuisiae oppidanae qualitatem, deminutum esse.

Imo Principes nostri, vrbibus conquerentibus, suaserunt: „In „Absicht auf die über den Verfall der Brau-Nahrung überhaupt geführte Klagen haben die Städte auch ihrer Seits die Verbesserung des „Brauwesens, wodurch sothane Klagen sich zum Theil selbst erledigen, „bessern Fleißes sich angelegen seyn zu lassen.“ rr) Denique experientia nos docet, quale commodum ad rempublicam redundet, si etiam praediis equestribus possessio cocturae cereuisiariae conseruatur. Recordemur, quaeso, temporum caritatis annonae annorum 1719 et 1720, quibus oppidana cereuisia ne incolis quidem vrbium sufficiebat, sicut nec pistores satis panis coquere poterant, inopia frumenti. s)

rr) Höchste Resolution auf die während des Landtags von 1787 übergebenen Beschwerden.

s) cf. eundem libellum ab Equitibus in comitiis d. a. 1722 traditum.

Haec fere sunt, quae a praediorum equestrium possessoribus ad tuendam causam suam adferri solent. Transeamus iam ad alteram libelli nostri partem, quae continet refutationem opinionis huc vsque defensae. In quo loco ab omni studio partium alieni eo magis videbimur, quo maiorem operam in colorandis assertis Equitum et exponendis argumentis, quae pro ipsis allegari possunt, contulisse speramus.

S E C T I O I I .

In causis braxatoriis iure Saxonico electorali, possessionem non respiciendam esse, nec possessorium siue summarium siue ordinarium, obtinere, ostenditur.

§. 28.

Vt opinionem in I. Sectione expositam rite refutemus, hanc partem Libelli nostri priori accurate adplicare, atque eundem ordinem in disserendo observantes, constituimus

- 1) *Praemittere quaedam axiomata, quae in quaestione de possessione obueniunt.* (PARS I.)
- 2) *Demonstrabimus: Iure Saxonico electorali in Causis cereuiariis possessorium non obtinere.* (PARS II.)

- 3) *Refutabimus argumenta ex analogia deducta.* (PARS III.)
 4) *Adiiciemus id, quod partim ex aequitate, partim ex rationibus politiciis contra Equites et pro urbibus militat.*

P A R S P R I M A.

§. 29.

Quamvis nec Equites Rusticosque per se iuris coquendae et vendendae cerevisiae acquirendi et exercendi incapaces dicimus, nec ius ipsum pro regali habemus, cum tamen certae dentur conditiones et qualitates, quae necessario praecedere debent, antequam possessionis adprehensio cogitari et de possessorio vlla quaestio esse possit; a) in Saxonia electorali in causis cerevisiariis, conditionibus hisce deficientibus, Possessorium locum habere non posse, ex natura rei contendimus. Sicut enim, vt exemplo consilium nostrum indicemus, possessionem nemo adprehendere potest, nisi rei, de qua agitur, possessionis capax sit, ita dantur alia requisita, quae neque minus deesse debent, vt possessio rite adprehendatur. Huc potissimum pertinet

a) Cum de materia, quae iuris contemplatione possessionis notionem non admittit, tum de personis, quibus possidendi facultas iuris auctoritate denegatur et quae Interdictis vti possidetis et vtrubi aduersus neminem defenduntur, plura eaque egregie exposuit Ill. FLECK in *Hermeneutice Tituli Pandectarum de acquirenda vel amittenda possessione, Spec. I. Sectio III. §. 3.*

- a) vt possessio vacua sit,
- b) vt ne is, cuius interest, contradicat,
- c) vt ne lex possessionem adprehendere vetet.

Quae conditiones ita necessariae sunt, vt, si adprehendens de eorum existentia incertus sit, seu, vti leges aiunt, super iure possessionis vacillet atque dubitet, ad possessionem peruenire nequeat.

l. 10. C. de adq. et amitt. poss.

l. 31. pr. D. de usucapione.

Nam possessio ipsa est improba *aa)*, seu turbatiua: „Improba possessio vero firmum titulum possidenti praestare nullum potest.“

l. 7. C. de adq. l. amitt. poss.

Eiusmodi detentor frustra prouocat ad commoda possessioni alias adhaerentia: est enim praedo atque turbator.

aa) Vitiosa possessio non semper est turbatiua eo sensu, quo nos hanc vocem vsurpamus: inter vtramque potius est discrimen. Possessio modo violento arrepta, vtpote nec vnquam vacua, nec consentiente domino eademque contra leges publicas poenales acquisita, semper quidem turbatiua est, at clam vel precario accepta vitiosa quidem, sed qua talis non turbatiua est. Mirum videtur, quod HOMMELIUS, subtilissimus ille Ictus, in *Rhaps. obs. 178* discrimen inter possessionem vitiosam atque improbam, seu, vt ita dicam, ex iure impossibilem ac turbatiuam praetermisit et furi atque latroni contra laesum possessorium summarium concessit. Discrimine illo observato potes vitia, quamuis in continenti liquida, in possessorio summario non attendenda esse, affirmare, nec tamen in illud paradoxon incidere.

Ad a)

Possessio vacua appellatur, si res, quam acquirere cupis, in alterius custodia non est, a nemine alio neque corpore neque animo detinetur. Possessio enim rei nondum vacua est, quam corpore possidere desiisti:

,quemadmodum enim nulla possessio acquiri nisi animo et corpore potest, ita nulla amittitur, nisi in qua utrumque in contrarium actum est. l. 8. D. eod.

Sed et si animo possideas, licet alius in fundo sit, adhuc tamen possides. l. 3. §. 7. D. eod.

Licet possessio nudo animo acquiri non possit, tamen solo animo retineri potest. Si ergo praediorum desertorum possessionem non derelinquendi affectione transacto tempore non coluisti, sed metus necessitate culturam eorum distulisti, praeiudicium tibi ex transmissi temporis iniuria generari non potest. l. 4. C. eod.

Fingamus: urbem in quodam territorio cereuisiam vendidisse: praedium equestre autem ibi situm cereuisiam *clam coctam* simul per aliquod tempus subditis *obtrudere* coepisse: quis dixerit, praedium possessionem *vacuam* adprehendisse? Immo non esset vacua, etiamsi vrbs cereuisiam in illud praedium vehere per aliquod temporis spatium intermisisset, dumne consilio possessionem derelinquendi fecisset: semper enim ei remaneret possessio civilis. Cum non nisi vacua possessio adprehendi queat, pagi domino vel incolis proprio ausu neque braxationem incipere, neque coeptam retinere licet: quoniam possessio ab initio improba atque turba-

tua fuerit. Iure communi vnicus quidem actus ad possessionem
braxandi adquirendam sufficit, sed necesse est, ne quis alius iam
possideat, qui turbatur, vel vt pristinus possessor affectionem
derelinquendi per actum externum exprimat. Nunquam vero
haec affectio praesumi potest, si ille necessitate cedere coactus,
per reiteratas querimonias consilium possessionis retinendae de-
clarauit.

§. 51.

Ad b)

Licet per hanc, quam commemorauimus, legum sanctio-
nem improbi detentores in ordinem redigi atque satis coërceri
videantur, attamen ad omnes arbitrarios impetus prohibendos,
omnemque improbitatem euitandam adiiciunt: vt, etiamsi pos-
sessio vacua sit, alio, cui hoc ius competit, contradicente, ap-
prehensio fieri non possit.

*Vnde ingredientem in vacuum possessionem alieni fundi non consen-
tiente domino vel actore qui eius rei concedendae potestatem
habuit, causam iustam possessionis adipisci non potuisse, certum est.
l. 7. C. eod. Nemo ambigit interpellatione et controuersia progressa non
posse eum intelligi possessorem, qui licet possessionem corpore teneat, ta-
men ex interposita contestatione et causa in iudicium deducta super iure
possessionis vacillat et dubitat. l. 10. ibid.*

Igitur si secundum formam ciuitatis certum quaestus et in-
dustriae genus certo ordini, exclusis reliquis ita dicatum est, vt
eius ius peculiare sine dubio vocari, nec alius inuito priore hoc
adpetere debeat; quicumque proprio ausu possessionem eius ad-

fectavit, is nequaquam se pro possessore gerere, nec vnquam iudicis auxilium expectare potest, si „*dominus, qui solus eius rei concedendae potestatem habuit*“ modo qualicumque siue coram iudice competente, siue coram ipso legislatore de illa re questus est. b) Possessorium in hoc casu valere et exceptio possessionis attendi nequit, dumne legislator priuilegiato ius suum abstulerit. Sublato denique priuilegio, tertius possessionis, si vere vacua est, apprehendendae facultatem habet, cum non adsit, qui ex iure aliquo contradicat.

§. 52.

Ad c)

Nequit praesertim fieri possessionis adprehensio, si leges, quo minus quis hanc rem vel hoc ius possideat, expresse prohibent. „*Ea enim, quae lege fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia, sed pro infectis etiam habeantur.* 1. 5. C. de legg.

Negari quidem non potest leges scriptas per vsum contrarium atque consuetudines oppositas abrogari posse; certum tamen est, hoc tantummodo fieri, si partim omnia, quae ad naturam iuris consuetudinarii pertinent, concurrunt, (praesertim vt

b) Vt propter contradictionem adprehensio possessionis nulla sit, necesse profecto est, ius contradicentis ipsum certum atque in continenti liquidum sit, nec probatione egeat. Atqui nihil magis in continenti liquidum est, quam quod ex ipsis legibus proficiscitur. Cum igitur ius prohibendi vrbium clarissimis legibus nitatur, contradictio earum omnem possessionis adprehensionem extranei nullam reddere oportet.

praescriptio vel ordinaria, c) vel immemorialis d) absoluta sit, requiritur;) partim si nulla lex actus contrarios expresse vetuit, clausulâ derogatoriâ, quam vocant, munita.

l. 24. pr. D. de usucap.

HOMMEL *Rhaps. obs. obs.* 273.

De quanam autem lege hoc magis affirmare licet, quam de ea, quae poenam cuique facto contrario definitam minatur? Iam vero, cum eiusmodi legi nonnisi praescriptio immemorialis, quae instar priuilegii est, derogare possit, quomodo ex singulis actibus legi prohibitiuae contrariis, iisque intra paucorum annorum spatium perpetratis, vllum ius promanabit? Nemo igitur contra legem prohibitiuam suam pössessionem vnus vel plurium annorum quietam et iustam dixerit: nec vlllo modo contra legem prohibitiuam possessorio locus concedendus. e)

§. 55.

Huc vsque semper *Iura priuata* contemplati sumus, quae sine dubio per praescriptionem mutationes patiuntur et possessionem aduersarii admittunt, dum conditiones supra commemoratae, sub quibus solis possessionem apprehendere licet, adsint. Quod autem de Iuribus singulorum ciuium priuatis valet, id non etiam de rationibus status publici contendere potest, quae non per prae-

c) HOMMEL *Rhaps. obs.* 273.

d) WERNHERI *Observ. P. IV. Obs. 5. n. 85. sqq.*

e) IDEM *P. IX. obs. 42. et l. 5. C. de legg.*

scriptionem sed obseruantiam commutantur. Inter ytramque vero insigne discrimen obseruarunt Icti acutissimi. f)

Illa inter subditos noua iura priuata introducit, haec certas constitutionis publicae partes fundat atque immutat. Illa per actos ciuium plures et vniformes ad cognitionem legislatoris perlatos atque ab eo non improbatos exoritur, haec per actus ipsius Imperantis siue eorum, ad quos facultas statum publicum determinandi pertinet, puta Principis et statuum prouincialium. Nequaquam igitur per facta singulorum subditorum priuata, etiamsi sexcenties repetita, et tempore licet longissimo praeterlapso, obseruantia aliqua vel constitutio ad formam publicam ciuitatis pertinens introducitur vel abrogatur. Nihil igitur refert, subditus siue longiori siue breuiori tempore contra ciuitatis constitutionem peccauerit: haec propterea non mutatur: factum eius coerendum, nec ipsi, nec extraneo propter leges semel violatas idem in futurum perpetrandi facultas danda est: nisi contendere malis, eum, qui leges ciuitatis neglexit, praemia, impunitatem et securitatem mereri, ciuitatique tamdiu modo constitutionem formulamque esse, quamdiu singulis ciuibus eam obseruare placuerit.

Sed ad rem nostram redeamus. Quaestus vrbium braxatorius, nisi Saxoniae electorali omnem constitutionem denegare velis, profecto ad eam pertinet. Diuersi enim apud nos obtinent

f) SENKENBERG *de iure obseruantiae ac consuetudinis in causis publicis priuatisque*, Gissae 1745. 4.

SEANGENBERG *de obseruantia Imperii*, Halae 1795. 8.

SCHNAVBERT *Beitr. z. Staats- und Kirchenrecht*, 1. Th. 5.

ordines subditorum, cuique peculiaria iura dicata sunt, quae aequae atque ipsi ordines ad reipublicae formulam pertinent. Ipse quem diximus quaestus in Saxonia semper pro parte constitutionis publicae habitus est. Leges, quae de illo agunt, ex *statuum provincialium grauaminibus et transactionibus Comitialibus* prodierunt. Ipse Princeps salutem *totius corporis ciuici* a conseruatione iuris ce-reuisiarii huic dicati suspensam esse, saepius declarauit. g) Iam vero cum ordinis ciuici salus ad ipsius reipublicae totius salutem et ad ipsam nostram *constitutionem*, libertatem atque priuilegia conseruanda necessario contribuat, quicumque Ius ordinis ciuici defendit, ipsam reipublicae constitutionem defendere, qui illud laedit, hanc, eiusque fundamenta, quibus superstructa est, ad-riri atque labefactare videtur. Vrbes denique aduersus concessio-nes, ipsis insciis impetratas iterata vice intercesserunt, et Electo-res complures earum aboleuerunt: id quod non fecissent, nisi persuasum sibi habuissent, ius ad statum publicum nostrae ciui-tatis pertinens non nisi in ipsis Comitibus, auditis delegatis vr-bium, minui tollique posse. Vnde igitur contenderis, vnus al-teriusue ciuis actus possessorios illegales constitutioni Saxonicae derogare? Quonam iure ille possessionem appetet, cum vnus-quisque actus possessorius, ex quo iustum titulum possessionis deriuare audet, laesionem constitutionis publicae contineat? Quac-nam, obsecro, iura illis sanctiora? Quomodo quis, illis laeden-dis, ius quod ipsi non competit, adquirat?

g) Hoc iam videre licet ex verbis ORDIN. PROV. d. a. 1482. „wo das nicht vorkommen, so würden uns die Städte in die Länge verwüestet.“

Accedit et hoc, quod vrbes in Comitibus omnibus conatibus, ad possessionem obtinendam factis, semper contradixerunt, unde nec tacito earum consensu seu per obseruantiam possessorium in causis braxatoriis introductum, dici potest.

P A R S A L T E R A.

In litibus super iure braxandi inter vrbes et praedia equestria ortis possessio non respicitur, nec possessorium locum habet,

a) quoniam leges Saxonicae quaestum cereuisiarium vrbibus tanquam ius peculiare dicarunt, aliisque ciuium ordinibus eo interdixerunt.

b) quoniam in specie Ordinatio prov. d. a. 1555. atque Recessus d. a. 1670 et 1673. Possessorium strenue vetant.

Ad a)

ORD. PROV. d. a. 1482. MANDAT. d. a. 1551. ORD. PROV. d. a. 1555. RESOLUTIONES variae grauaminum praesertim illae d. a. 1661. RECESSVS COMITIORVM d. a. 1670 et 1673 clarissimis verbis quaestum braxatorium pro ciuico, aliis ordinibus non concedendo, declarant. Excipiuntur tantum, qui tempore publicatae legis iam priuilegio vel praescriptione eam adquisiuerant. Omnes autem conatus vrbibus quaestum hunc eripiendi prohibentur, graui constituta poena, scilicet mulcta, imo feudorum amissione, in eos qui contra fecerint; omnesque actus possessorii pro mala consuetudine declarantur.

Si vlli legi, certe commemoratis, clausula derogatoria inest. Contra hanc per quietam nonnullorum annorum possessionem nihil effici, insuper ex analogia aliarum legum Saxonicarum apparet. Cum enim decisionem nouissimam IV. Supremum Regimen prouinciale ita interpretetur, vt, qui Magistratus, se iure detractus gaudere, praetendat, actus possessorios anno 1746 publicatae legis priores allegare debeat, nec actuum postea celebratorum vlla ratio habeatur, licet decisioni dictae clausula derogatoria non inhaereat; quanto magis in causis braxatoriis omnes actus possessorii nulli sunt, nec quidquam efficiunt, cum leges prohibitiuae eo spectantes, clausula derogatoria munitae sint. Quicumque ad possessionem aliquot annorum licet quietam prouocat, factum confitetur, cuius causa poena afficiendus est, nec potest in illa defendi, cum alias praemia et remunerationes propter violatam legem consequi videretur. Quis exemplum retulerit, ciuem, immunitate a vectigalibus non gaudentem, propterea, quod per nonnullos annos tributa non soluerit, in libertatis naturalis possessione defensum esse. Atqui eadem in specie proposita intercedunt rationes. Subditi immunitatem a tributis, sicuti praedia equestria quaestum braxatorium tantummodo per priuilegium vel praescriptionem immemorabilem adquirere possunt.

In dubium igitur vocari nequit, contra leges Saxonicas, coctura cereuisiae, quae fit venditionis gratia, praediorum nobilium possessoribus penitus interdicentes, possessorium locum non habere: neque iure Saxonico in causis cereuisiariis controuersis possessionem, siue sit antiqua, siue noua, praedii equestris domino ius aliquod tribuere, adeo, vt ne possessio quidem per XXX.

annos annum et diem continuata ius longius possidendi pariat; quamuis alias, tempore hoc impleto, ceteris paribus ius consuetudinarium introduci, explorati iuris est. Itaque cum leges provinciales omnes actus isti iuri contrarios pro mala consuetudine declarent, praediis equestribus sua sponte cedere nolentibus, nihil praeter iuris probationem per literas inuestiturae vel praescriptionem immemoriam absolendam relictum est.

§. 35.

Ad b)

Ordinatio provincialis d. a. 1555 reuera nihil, quod nostrae sententiae aduersetur, continet. Apponamus ipsa verba, quae huc faciunt:

„Es sollen aber gleichwohl diejenigen, so des Brauens oder Schenkens „in Gewähren oder Gebrauch seyn, dabey bis zu Erörterung der Sachen „bleiben.“

Verba „ dabey bis zu Erörterung der Sachen bleiben,“ duplicem interpretationem recipiunt.

1) Quoties, actione contra possessorem ab vrbibus instituta, ille iuris probationem capessit, ei braxatione de facto, vt aiunt, non interdicendum est; sed ad definitiuam vsque omnia in statu quo remanent.

Huic interpretationi adstipulatur particula „gleichwohl,“ ita vt sensus legis hic videatur: Cereuisiam rure coquentes et vendentes, ab vrbibus actione instituta, probationi quidem se subiicere debent; sed, h. e. „gleichwohl“ pendente lite omnia in statu quo

remanent, atque finis processus expectandus est, qui cum brevis esse debeat, ex hac mora nullum damnum irreparabile vrbibus infertur. *gg*)

Quae contra hanc interpretationem propter *EDICTVM d. d. 31. Decbr. 1676. in C. A. T. I. p. 165.* supra allatae sunt dubitationes §. 15. monendum primo est, istud edictum, quo conuentio de iure et possessione coquendae et vendendae cereuisiae auctoritate Principis Electoris firmata fuit, noua lege die 5. Febr. 1688 edita, si non abrogatum, certe suspensum fuisse, vt in ipsis rerum argumentis applicationem habere nequeat: deinde obseruandum, pristina iura, quae ante annum 1688 obtinuerant, plane restituta fuisse, vt neutri parti, ex iis, quae interim gesta et acta fuissent, aliquid praeiudicii oriretur.

§. 36.

2) Alter modus interpretandi hic cogitari potest: Quicumque

gg) Vix metuendum est, ne nobis ipsis minus constare dicamur, qui hoc loco possessorem pendente lite ex possessione non eiiciendum esse concedimus, cum omnino possessionem in causis cereuisiariis iure Saxonico exulare contendamus. Aliud enim est durante processu nil immutare et possessorem possidere sinere, aliud remedia possessoria admittere, atque per sententias definitiuas ipsi possessionem tamdiu decernere et conseruare, donec aduersarius contrarium probauerit. Hoc enim casu possessio pro iusta declaratur, nisi intra tempus legitimum aduersarius contrarium probauerit, illo autem casu pax externa duntaxat custoditur, secundum ritum illud iuris Canonici: pendente lite nihil est innouandum, atque omnis vis et effectus ab exitu litis pendet.

in possessione vel vsu coquendae et vendendae cereuisiae est, ante litem ab vrbibus motam, quiete vtrumque exercere potest: sed lite quouis modo mota, possessor ad probationem iuris in petitorio obligatur, ipso iuris de quo agitur exercitio interim suspenso. Verba enim, *bis zu Erörterung der Sachen*, ex verbis antecedentibus hunc sensum accipiunt, atque „*Erörterung der Sachen*“ non finem sed initium litis significat, vt reus pendente lite, tanquam malae fidei possessor, qui neque iure neque possessione vtatur, consideretur. Quae interpretatio ex historia legis in hunc modum illustratur. Etenim cum Princeps Elector post Mandatum ao. 1551 editum Equites propter angustiam termini ad probationem ipsis praefixi sollicitos et anxios videret, hac cura eos liberaturus, in Ordinatione prov. d. a. 1555. constituit, vt onus probandi non prius subirent, quam ab vrbe aliqua quouis modo peterentur. Quod si factum erat, iudex praedium equestre cereuisiam vltra coquere et vendere, propositis poenis, ex pristino iure prohibere solebat, praesertim imploratus ab actore: quippe praesumptio ius braxandi reo non competere, donec probaretur contrarium, ipsis legibus stabilita, vis autem possessionis per motam actionem infracta fuerat. Nequaquam autem argumentari licet, h) praedium equestre, in quieto braxationis exercitio ab vrbe alio modo quam per actionem peculiarem in petitorio interpellatum, ad possessionem suam prouocare eamque retinere posse. Verborum enim „*bis zu Erörterung der Sachen*“ 1) sensus generalis est, et quemcumque modum, quo res ad cognitionem legislatoris

h) cf. supra §. 11.

vel iudicis peruenit, demonstrat: 2) iam tempore promulgatae ordinationis prouinc. d. a. 1555 possessorium in causis cereuisiariis in Saxonia exulabat, inde de hoc Legislator cogitare non potuit. Etenim extabat lex prohibitiua (Ord. prov. d. a. 1482.) eaque cum clausula derogatoria munita, propter quam omnes actus contrarii pro mala consuetudine, quae nullum ius tribuit, habendi erant, quales ipse Legislator eos postea dixit. i) Quae cum ita sint, nulla ratione defendi potest, possessorium contra prohibitionem reliquarum legum fuisse receptum, tale enim quid sine expressa, diserta atque clara voluntate legislatoris statui nequit: nedum vt ex dubia verborum interpretatione eam extorquere liceat, „contra iuris sententiam enim saeua praerogatiua „verborum fraudulenter excusat“ l. 5. C. de legg.

Quod denique tertio loco vocem „*anfechten*“ in Ord. prov. obuiam, attinet, non tantum actio in petitorio instituenda, sed quivis modus legalis, quo vrbes contra eum, qui Ius ipsarum adpetit, experiuntur, sub ea intelligi debet: id quod cum ex ipsius vocis generalitate, tum ex authentica legislatoris interpretatione patet. Saepissime enim Regimen prouinciale propter solam *denunciatio-*

i) Haud veremur, ne quis propterea nobis litem moueat, quod iam hoc loco vsi simus principio aliquo, quod demum in lege longe posteriori, scil. Res. Grav. d. a. 1661. §. 118. in C. A. T. I. p. 255. enunciatum legimus. Nam vt taceamus, actus legi prohibitiuae contrarios per se malam consuetudinem esse, ita vt legislatoris declaratione non opus sit; legi posteriori, quae vel priorem repetit, vel prioris authentica interpretatio est, atque contra factum aperte illicitum fertur, effectum retrahendum, quis est Ictus, quin tribuat?

nem ab oppido factam, praedio denunciato, probationem iuris imposuit: ipse Elector propter grauamina in comitiis prouincialibus a delegatis vrbiū allata ad *Ius aduersariorum*, de quibus questae fuerant, disquirendum, Commissarios delegauit, *idque ex Ordinatione prouinciali se ita statuere affirmauit*: nec vnquam in hisce exemplis de sola possessione demonstranda retinendaue cogitatum fuit. Quamuis ergo nobiles, donec lis ipsis moueatur, quiete braxare possunt, oneri probationis tamen statim se subiicere debet illius praedii possessor, de quo vrbs conqueritur modo legali qualicumque.

§. 57.

Diuidicare non audemus, vtra interpretatio praefenda sit? Prior in Equitum commodum loquitur, quatenus lite mota possessione per praeceptum poenale de facto non eiiciantur, ad sententiam definitiuam vsque potius braxationis exercitium quiete retineant; posterior ad mentem legis et iuris vniuersi in hoc genere statuti rationes propius accedere videtur; nostra tamen nihil refert, quam amplectaris, siue enim hanc siue illam malis, sine vlla dubitatione consequens est: Possessorium in causis braxatoriis contentiosis non obtinere. *k)*

Clariori luce hoc apparebit, si Ordinationis prouincialis partim finem perpendimus, partim comparisonem cum aliis legibus

k) Vt in hanc sententiam abeamus, suadent quoque multa monumenta historica in *Actis Comitiorum* d. a. 1687 passim obuia. Quae cum hic recensere nimis longum sit, attamen non praetermittenda sunt ei, qui rei huius profecto grauissimae notitiam perfectam habere cupit.

instituímus. Vt brevis ^{l)} modus procedendi introduceretur, atque vrbium querelis mox maderetur, legislatoris finis primarius fuit. Quis autem modum illum procedendi per Possessorii summarii, ordinarii et Petitorii ambages, per secula nonnunquam protractum, breuem dixerit, consilioque legislatoris consentaneum putauerit? Eiusmodi protractio, quoniam vrbibus damnum irreparabile infert, cum et pendente lite lucrorum ex quaestu hoc rēdundantium expertes sint, et finito processu expensae immensae iusto saepius compensari soleant, menti legislatoris vel maxime repugnat, qui legibus de re cereuisiaria ferendis ad id intentus fuit, vt vrbium opes atque commoda augerentur.

§. 38.

Transimus ad interpretationem ceterarum legum prouincialium d. a. 1670 et 1673. In priori Elector constituit: „*dafs die „von den Turbanten zu ihrem Behuf etwa anziehenden actus clandestini „oder turbativi hierin pro possessoriis nicht gehalten*“ Quae verba non ita intelligenda sunt „*quatenus clandestini vel turbatiui sint, sed quia pro sua natura clandestini atque turbatiui sunt: dicasteria igitur cavento, ne specie et obtentu quietae possessionis decipiantur. Quam equidem interpretationem solam iustam esse, considerata legis ipsius occasione, persuasum mihi habeo. Cum enim vr-*

^{l)} Quoad formam processus breuis summario quadam ratione similis est. Summarii quid in eo est, si Regimen supremum propter solam denunciationem vrbis possessori praedii equestris probationem iniungit, neglecta prima in causa disceptatione.

Profecto legislator eiusmodi processum introducere voluit.

bium ablegati, literis supplicibus ad Electorem d. 1. Martii 1670 delatis, praecati essent „auch im Lande denen Schenken — ernstlich ,gewehret und die Städte diesfalls auf bloße Imploration ohne sonderbaren „Proceß nach Anleitung der Landtags-Ordnung bey ihren Rechten ge- „schützt, darwider auch die attendirten Turbationes nicht als actus pos- „sessorii consideriret und darauf gesehen werden möge“ hisce desideriiis, vt Princeps Elector faceret satis, in illo Recessu comitiorum omnes actus possessorios pro nullis atque inualidis declarauit. Quum nimirum possessionis adprehensio, quae contra legem prohibitiuam, affectione possessionis derelinquendae a possessore nondum declarata, aut possessione quidem vacua, alio tamen, cuius interest, contradicente, suscipitur, improba, turbatiua et inualida sit; in Saxonia vero in causis braxatoriis controuersis, propter leges expresse prohibitiuas, atque urbium reiterata grauamina a praediis equestribus possessio rite adprehendi nequeat: Elector et in Recessu laudato, et postea ao. 1673 cum status provinciales dimitteret, tum quod modo commemorauimus, tum insuper iussit, „daß die anziehenden actus pro vitiosis et turbatiuis ipso iure zu halten.“

Frustra verba laudata solam iuris praesumptionem quae probationem contrarii admittat, continere putaueris. Si in hac causa verbo praesumptionis iuris uti vis, potius appellaueris praesumptionem iuris et de iure, cuius contrarium probari nequit, cum ipsa ex natura rei et prohibitione legis vitium sequatur.

Posset quidem aliquis verba haec ita interpretari, vt, Electorem solummodo de 3. vitiis possessionis locutum, diceret: proinde quoties possessio nec clandestina, nec violenta nec precario accepta esset, vel vitia haec non in continenti liquida reddi pos-

sent, possessorium locum habere; verum enim vero vox „*turbativ*“ qua Legislator vsus est, nullam dubitationem relinquit: actus enim turbatiui omnem possessionis adprehensionem nullam et invalidam reddunt.

§. 39.

Ad hanc legem tametsi claram quodammodo infirmendam, sunt, qui eam duntaxat ad cereuisiae peregrinae inujectionem atque tabernas sine concessione Principis in damnum aerarii (*Tranksteuer*) aedificatas, referant. At enim id verbis generalibus huius Recessus repugnat:

„*Versprechen auch gnädigst den Gebrechen, sonderlich wegen Einführung und Schenkung fremder Biere, und sonst den Brauereisens und vermeinter Begnadigung halber entstandenen Irrungen — nach dem Landtagschlusse d. a. 1670 nachdrücklich abzuhelfen.*“

Legislator enim ex multis querelis, ad quas vrbes quoad quaestum cereuisiarium coactae erant, vnam nominat: per verba *und sonst* etc. autem omnes alias quaestus cereuisiarum turbationes, pro actibus ipso iure vitiosis et nullis haberi iussit. Praeterea prouocat ad Recessum d. a. 1670, qui iterum ad antiquas Ordin. prov. sese refert: quae cum non de cereuisiae extraneae inujectione, sed de iure prohibendi urbium vniuersali agant, nec Recessus d. a. 1673 tam arctis limitibus circumscribendus est.

§. 40.

Neque contendere licet, in eo solummodo de tabernis non priuilegiatis (*Winkelschenken*) agi. Etenim ibi quaeritur non de

commodo aerarii, sed urbium; vti ex ipsis Recessus illius verbis patet, quippe quae probant, non intellectas fuisse eas tabernas, quae nullo privilegio nitebantur, sed eas, quae privilegia quovis modo, insciis urbibus nactae fuerant, atque propterea, cum privilegium aduersus ius alterius, eo inscio, adquisitum, inualidum sit, ab urbibus „*vermeint*“ vocabantur et impugnabantur.

Nihil ad rem nostram faciunt literae ad Senat. Dresd. d. 15. Mart. 1673 missae. Primo enim loco non de Recessu a. 1673, qui demum die 26. Martii prodiit, ibi agitur: nec, secundo loco, propterea, quod Dresdenses de quibusdam solum definitis turbationibus conquesti fuerant, vllum praeiudicium toti corpori civico exoriri, nec Rescriptum hoc speciale legibus generalibus derogare potest. Intercessiones denique praediorum equestrium contra vnilaterales recessus dicti extensiones qualescunque, nullius plane momenti sunt, cum hae nonnisi interpretationes ex ratione legis haustae sint. Quum enim iam existeret lex prohibitiua, Ord. prov. d. a. 1482, atque possessorium contra leges prohibitiuas non obtinere, experti iuris esset, Recessus d. a. 1673 nihil praeterquam Iuris Saxonici elect. *vetus axioma* aliquod repetiit.

§. 41.

Natura rei ipsa non minus, quam leges huc vsque commemoratae possessorii in causis braxatoriis vsum tam clare prohibent, vt expressa sanctione „*es soll darin auf keine Possess erkannt werden*“ non opus sit. Recessus igitur deput. d. a. 1676, qui hanc sanctionem continet, nil noui constituit, nec nostra interest, per Resol. d. a. 1688 abrogatus dicatur, nec ne. Nihilominus est ali-

H

quis cum huius Recessus tum ipsius conuentionis, quam vocant braxatoriam, in litibus cereuisiariis vsus. Quamuis enim vrbs, ad actoris intentionem elidendam et exceptionem non rite formati, processus probandam, nec Recessum d. 1676, nec pactum illud allegare potest, hoc tamen non impedit, quo minus vtrumque pro monumento interpretationis iustae legum de rebus cereuisiariis latarum, habeamus. Sensum recessus laudati, si accurate perspexeris, hunc inuenies: „Mirari Electorem, quod leges prou. clarissimae, praesertim Recess. d. a. 1670, eum in modum explicentur, vt Dicasteria praedia equestria in possessione tueantur: se igitur, vt huic malo obex ponatur, in sententiis ferendis solum ius nunquam possessionem respici, oportere iterum iubere.“ Quoties igitur de genuino sensu recessuum d. a. 1670 et 1673 lis est, dubitari nequit, quin vrbes ad Recess. d. 1676, tanquam ad exemplum interpretationis authenticae iure prouocare possint. Quod vero conuentionem a. 1676 initam attinet, principia iuris ibi obuia a parte eius dispositiua atque rebus pacto constitutis sollicitè discernenda sunt. Haec per Resol. d. a. 1688 abrogata sunt, illa pro natura rei vim suam retinuerunt, ideoque, quod in Conuentione legitur: „*dass obschon hiesiger Lande in Bier-Sachen keine Possessio, als welche contra legem publ. prohibet. nicht erlangt werden, möchte, statt finden könne,*“ ex iure pristino repetitum et pro basi atque fundamento, cui ipsa conuentio superstructa est, agnitum fuit, possessorio in causis braxatoriis contentiosis locum non concedendum. Hoc per Res. d. a. 1688 sublatum esse, non magis, quam, in Saxonia contra leges prohibitiuas publicas possessorium admitti, propter eandem Resolutionem, contenderis.

At quaestio nunc oritur, num illi Recessus, qui iura urbium tam clare confirmant, vim et auctoritatem legum publicarum habeant, an pro talibus saltem constitutionibus habendae sint, quas RESOLVTIO de 1688 pro valida norma in causis braxatoriiis controuersis declarauit? Proprie quidem Recessus deputationum non appellari solent constitutiones sensu angustiori atque ea significatione, qua illud verbum v. c. de legibus anno 1572 promulgatis sumitur; Electorem autem Iohannem Georgium sub verbis Resolutionis de 1688. „— pp. *diejenigen Klagen aber, so aus denen Landesordnungen und vor anno 1676 erfolgten Constitutionibus, Pactis und Privilegiis, — angestellt werden wollten, ungehindert und frey seyn sollten,*“ — tantum constitutiones, stricte sic dictas, in mente habere nec potuisse, nec voluisse, ex argumentis, quae sequuntur, in aprico est.

(1) Iure non potuit: leges enim fundamentales, ad constitutionem ciuitatis pertinentes atque sacras vi legali et obligatoria priuasset; quod per ius publicum fieri non debuit. Nam recessus deputationum atque comitorum prouincialium vera sunt pacta fundamentalia; sicut mutuo consensu Principis et statuum inita, ita tantum mutuo dissensu vtrorumque tollenda, quatenus formam prouinciae tangunt. Quod autem illi recessus plerumque Ordinationem totius reipublicae et statum publicum ciuitatis, non autem iura priuata singulorum concernant, id potius pro urbibus, quam contra eas militat. Quaestus enim ciuici eodem iure ad constitutionem Saxoniae electoralis, quam immuni-

tas a vectigalibus praediorum equestrium pertinent. Quod cum viderent Electores, de quaestu cereuisiario non in legibus separatim et temporariis, sed in ipsis recessibus comitiorum egerunt; quid enim sanctius, quid perennius lege et pacto fundamentali inter populum et Principem inest? Sed errant, qui, recessus fontes iuris priuati non esse, opinantur; exigua enim cognitio rerum in comitiis gestarum, ab antiquissimis inde ad nostra usque tempora, etiamsi eam solummodo ex Codice Augusteo haurire velis, docet, Principes nostros per illos recessus non rationes publici iuris tantum, sed etiam iura priuata definiuisse.

Electorem per illa verba resolutionis de 1688. adeo recessus comitiorum atque deputationum intelligi *voluisse*, exinde sequitur:

a) quia non iubet: „*diejenigen Klagen aber, so aus denen Landesordnungen und unsre und unsrer Vorfahren vor 1676 gegebenen Constitutionibus etc.*“ sed generalibus potius verbis: „*und vor 1676 erfolgten Constitutionibus,*“ vsus est; intelligendae igitur sunt omnes dispositiones, obligationesque rite ex formula prouinciae ante 1676 editae contractaeque.

b) De mente autem legislatoris in interpretandis illis verbis dubitare eo minus poteris, quo saepius Recessus comitiorum pro normis in litibus, super iure braxandi ortis, ipse agnouit; uti in litteris patentibus de d. 15. Mart. 1673: „*dass der Rath zu Dresden die Landesordnung, die erörterten Landes-Gebrechen, confirmirte Statuta und die Landtags-Abschiede von 1666 und 1670 für sich habe.*“ In Recessu de 1676 vocantur recessus Comitiorum expresse Constitutiones, cum Elector se, quod contra Recessum de 1670 actum sit, aegre ferre declarat: „*Dieselben können diese Anmassungen — neue*

Schenkstätte wider die Landes-Constitutionen zu errichten, keineswegs billigen.“

S. 43.

Vt vero leges de rebus braxatoriis, solummodo de *Iure urbium milliario* intelligamus, tantum abest, vt potius hoc contendere cum ipsa historia atque omnibus Hermeneuticis regulis pugnare videatur. *m*)

Si ad origines quaestuum ciuilium separatorum pedem referimus, historia docet, diuersa diuersis ordinibus vitae genera antiquitus adsignata fuisse. Nobiles atque opulentiores curabant rem militarem, atque praedia equestria, rusticus agra et aratrum colebat, ciues artes cum liberales, tum sellularias manuarisque, exercebant, praesertim autem rem cereuisariam tractabant. Quae consuetudo diu seruata est, cum olim moris esset, vt filius vestigia patris sequeretur, nec vltra conditionem auitam a maioribus tanquam hereditario iure acceptam ascenderet. At vero paullatim nobiles, vtrumque ordinem et rusticos et ciues turbare coeperunt, praedia enim rustica emta alioque modo adquisita adiunxerunt praediis equestribus, quo operae rusticorum saepe, auctae fuerunt, vt alia incommoda inde sequuta taceam, quaestus ciuicos, inprimis ius coquendae ac vendendae cereuisiae in perniciem urbium, in quibus tamen vis et robur ciuitatis positum est, sibi

m) Ius prohibendi urbium Saxoniarum vniuersale esse, iudicarunt Scabinii Lipsienses ao. 1595. cf. LEYSEI *Ius Georgicum Lib. III. c. 21. §. 15. p. 702. editio d. a. 1713.* Ceterum confer sis CRAMER *Wetzlar. Nebenst. Th. 85. p. 1. sqq.*

adpropriare, certe in societatem urbium venire studuerunt. Itaque fines iurium cuiusvis ordinis legibus definiendi et praediorum equestrium possessores intra legitimos cancellos coercendi fuerunt, quod Principes Saxonici prudenter. Ordinatione prouincial. an. 1482. his verbis fecerunt: „*dass nun hinführo Niemand, welches Standes, Würden, oder Wesens die seyn — in seinem Hause oder sonst auf den Dörfern nicht auf den Kauf brauen sollen.*“ Quis autem hoc ad certum tantum districtum restringere audeat? Nonne Principes nostri generatim dixerunt, quaestum braxatorium quasi peculium urbium esse, quarum salus eo contineretur, — nonne generatim omnibus villas et pagos inhabitantibus eo absque omni restrictione et milliaris commemoratione interdixerunt.

Quin ipsa notio quaestus ciuici docet, quemque extraneum, nobilem siue rusticum, proximiozem siue remotiozem ab vrbe, ab illo quaestu exclusum esse. Equidem fateor, esse, qui propter verba Speculi Sax. Lib. III. a. 66. legem laudatam restrictiue interpretentur. *mm*) Sed Auctoris consilium fuit: „*vt ne vna vrbs „per alterius nimis vicinae commercia deuastaretur; n*)“ tantum abest, vt iura, quibus salus urbium vnice nititur, arcissimis limitibus circumscribere voluerit. Aliquid profecto ex loco laudato Speculi Saxonici ad opinionem istam defendendam conficeretur, si probari posset, moris fuisse tunc temporis, vt extranei a com-

mm) Ceterum hunc locum etiam attigit: TENZEL, (resp. Tauber) *de iure prohibendi, quo ciuitates Saxoniae vtuntur.* 1729. 4.

n) МЕСВАЧИУС *ad Spec. Sax. L. III. art. 66.*

merciis' ciuicis duntaxat intra milliare excluderentur. Hoc vero et omnibus monumentis historiae, et praefationi Ordinationis prouincialis d. a. 1482. in Cod. Aug. T. I. p. 1. repugnat, ex qua nimirum apparet, antiquitus commercia' ciuica, praesertim commercium cereuisiarium solis urbibus patuisse: subinde quidem *singulos* Nobiles et Clericos huic rei se immiscuisse: sed pristinae consuetudinis restituendae gratia omnibus omnium locorum Prae- latis, Nobilibus, Clericis et Rusticis hoc quaestu, urbibus proprie dicato, lege in perpetuum valitura interdictum fuisse. Est enim interpretatio ordinationis dictae ex Speculo Sax. tanto minus re- petenda, quo magis ingenio et vsui loquendi legislatorum nostro- rum conuenit, quoties ius vetus Saxonicum vel seruatum, vel in vsum reuocatum cupiant, hoc aliqua certè ratione indicare; v. c. in Constit. Elect. 13. P. III.

Prohibitio igitur Ordinationis de 1482. secundum verba in- terpretanda est, quae cum generalia sint, sequitur, vt ius illud prohibendi urbium etiam generale sit. MENKENIUS quidem in Dissert. laudata quaestionem opponit:

„Si ordinationem ad dictum articulum 66. se non referre sta-
„tuerint ciuitates, vnde quaeso prohibendi ius intra milliare sibi
„tributum probabunt? Prouocantibus enim ad Ordin. prouinc.
„semper obstaret exceptio non fundatae actionis.“ —

Error autem hic subest. Ius urbium ex sola Ord. Prov. de 1482. consideratum, cum vniuersale sit, fundatam intentionem non potest non habere actio contra praedium equestre mota, siue intra, siue extra milliare situm sit. Instituuntur quidem hodie actiones peculiares non nisi contra praedia intra milliare sita, sed

non quod urbium ius tam arctis limitibus in Ordinatione laudata circumscriptum fuerit, vsu potius fori hoc accidit. Per hunc enim introductum est discrimen inter *Ius prohibendi* atque *Ius cogendi* urbium, vti et inter praedia equestria intra et extra milliaria sita, cuius effectus potissimum eo conspicuus est, partim vt hoc contra praedia intra milliaria sita exerceatur, illud vniuersale sit, partim vt actionibus solemnibus instituendis duntaxat contra praedia ab oppido non vltra milliaria distantia locus dari coeperit, contra alios turbatores autem querimoniae vel per grauamina in comitiis, vel per denunciationes coram Regimine provinciali ad Principem deferri soleant. Attamen propterea, quod urbium *Ius cogendi intra milliaria* paulatim coërcitum fuit, non efficitur, vt *Ius prohibendi vltra milliaria* cesset.

§. 44.

Quodsi adhuc dubium de generali Ordinationis provincialis anno 1482 editae sensu superesset, dubitari tamen non posset de hodierno urbium iure, quippe ex §. 118. Resolutionum grauaminum de 1661, Legislatorem ipsum *Ius prohibendi* urbium vniuersale agnouisse, intelligimus. Postquam enim vrbes, inter alias querelas ad Principem retulerant: „*Dafs hin und wieder im Lande „neue Malz- Brau- und Wirthshäuser — an unerlaubten Orten, auch „wohl inner der Meilwegs zur Ungebühr aufgerichtet würden;*“

Electores et questus pro iustis agnouit, et conatus aduersariorum vehementer improbatit verbis:

„*Gestalt Uns dann auch — jeden Stand — in seinem Wesen, „Wohlstand und Nahrungen zu schützen — obliegt: Ueber das, nach „Anleitung der Policey- Ordnung die Haupt- Amtleute und andere Ge-*

„Richtsherren vorher erzählte Misbräuche alsobald abzustellen, die Städte bey der Landes Ordnung, alten Privilegien und Verträgen zu schützen — pflichtig“ etc. — Exinde sine dubio intelligitur, Ius prohibendi vrbium vniuersale esse, ipsam Ordinationis prouincialis de a. 1482. dispositionem vniuersalem, nec ad milliare restringendam, atque pro tali ab ipso legislatore habitam esse. Quid enim sibi volunt verba: „hin und wieder im Lande auch wohl innerhalb der Meile?“ — Dixit nimirum: „Quin, vbi ad Ius prohibendi ordinis ciuitatum et Ius cogendi singularum ciuitatum accedit, peccatum est, tum contra ius publicum; (Ius prohibendi nimirum vrbium, quod partem formulae prouinciae nostrae efficit;) tum contra ius privatum (bannum puta cereuisiarium intra milliare cuiusuis oppidi, quippe qui ad iura priuata singulis vrbibus competentia pertinet). —

§. 45.

Idem valet praesertim de Recessu ai. 1670. Quamuis enim in illis litteris patentibus, Dresdam missis, tantum sermo est de cauponis illicitis intra milliare constitutis, propterea tamen vis Recessus dicti ad hoc exemplum non restringi debet. Casu enim accidit, vt Dresdenses tunc temporis de solis tabernis — (*Winkelschenken*) — in vrbe, suburbiis atque intra milliare illicite aedificatis conquirerentur. Quod cum contra leges prouinciales, in quibus omnes actus possessorii in causis cereuisiariis pro vitiosis, nullis atque turbatiuis declarantur, perpetratum esset, iure suo ad leges hasce prouocarunt. Idem facere licuisset, si de eiusmodi cauponis extra milliare sitis conquerendi occasio fuisset vel animus. Vniuersale semper complectitur particulare. Leges

Saxonicae cereuisiariae, cum *in genere* extraneos a quaestu ciuico arceant, etiam *in specie* pagis intra *milliare* sitis braxatione interdictum est. Propterea Dresda, data occasione et urgente necessitate, ad legem generalem provocare potuit; non quasi leges prouinciales *solummodo* agerent de hoc casu, sed quoniam hic casus ex sanctione generali definiendus fuit.

§. 46.

Quoad autem priuilegia singulis vrbibus concessa, concludere forte possumus, vrbes se non satis tutas per leges prohibitiuas putasse, minime autem inferendum est, ipsas ius suum prohibendi pro vniuersali nunquam habuisse. Causa, quae singulas vrbes incitauit, vt priuilegia banni cereuisiarii intra *milliare* peterent, duplex et esse potest, et fuit, vt ex historia comperit habemus. Primo loco ius cogendi intra *milliare* vsu et longa consuetudine acquisitum expresso priuilegio confirmatum cupiebant. Infitiari non possumus, in Ordinationibus prouincialibus Ius quidem prohibendi vrbium vniuersale contra praedia equestria, pagosque; sed nec prohibitionem cereuisiae omnis generis peregrinae, nec Ius illos cogendi, vt ab ea vrbe, a qua non vltra vnum *milliare* distent, cereuisiam emant, disertis verbis contineri. Hoc demum per vsum fori, cui profecto interpretatio extensiuia articuli 66. L. III. Spec. Sax. ansam praebuit, sensim et pedetentim inualuit, nostraque aetate per continuorum saeculorum obseruantiam sacratum, ius certum atque inuiolabile redditum est. Itaque vrbes illud ius cogendi, vsu et interpretatione introductum per expressa priuilegia, titulo interdum oneroso impetrata,

firmare studuerunt. Qua re sibi optime consulere videbantur, cum leges prouinciales misere negligi experientia doceret, et sperandum esset, fore, vt re in iudicium deducta, priuilegium idque onerose impetratum, non tot exceptionibus, calumniis, artibusque eluderetur, quam lex, qua nimirum inuenta semper fraus inueniri atque in promptu esse solet. Mos etiam fuit Germanorum, quidni et ciuium Saxoniorum? vt, quod lege generali ius ipsis datum fuisset, priuilegio speciali munirent, quo tuitionem et probationem quasi in scriniis suis haberent. Hae fere, ni omnia nos fallunt, causae fuerunt priuilegiorum eius generis petendorum impetrandorumque. In quibus cum singulae vrbes suorum quaeque priuatorum iurium firmiter praesidium, quam in legibus prouincialibus ponerent; defensionem iuris prohibendi vniuersalis vrbiu[m] delegatis in comitiis concediderunt: Quibus, sicut olim, cum lucrandi cupido atque colonorum auaritia leges nondum infregerant, rarissime eiusmodi certaminum occasio oblata fuit, ita post bellum tricennale, in quo praeter alios abusus etiam innumerabiles cauponae contra ius publicum priuatumque vrbiu[m] constitutae fuerunt, acerrime contra iniuriam istam pugnandum fuit, quid? quod eo vsque progressum fuit, vt Ius prohibendi vrbiu[m] extra milliare in dubium vocaretur atque actioni, contra praedium extra milliare situm motae, exceptio non fundatae actionis et non competentis iuris agendi opponeretur. Superest, vt exempla priuilegiorum vtriusque generis, et eorum in quibus Ius cogendi atque prohibitio cereuisiae extraneae, et eorum, in quibus solum Ius prohibendi continetur, afferamus. Pertinet huc *Resolutio laudata grauaminum* d. a. 1661. Ibi §. 124. com-

memoratur Lipsiense, ad Ius cogendi spectans, priuilegium his verbis:

„Dafs Niemand ohne des Raths Wissen und Vergünstigung ein
niges fremdes Bier innen und aufser der Stadt binnen einer Meile
zu schenken, etc.“

Priuilegiorum, eiusdem argumenti, urbium Vitebergae, Schmiedebergae, Kembergae atque Zahnae commemoratio fit in §. 125. ipsa sunt verba: „Das Bier nirgends anders, als bey der ihnen assignirten Stadt zu holen.“

Dresdae idem priuilegium esse, Litterae patentes supra laudatae docent verbis: „Es soll alles fremdes Bier - Einlegen und Schenken etc.“

Zwickauiae Ius cogendi cereuisiarium in §. 127. his verbis exprimitur: „Kein ander Bier, als Zwickauisches, bey namhafter Strafe einlegen und schenken etc.“

Contra in aliis priuilegiis, Fribergae §. 129. Leucopetrae §. 135. Lomatschiae datis §. 136. etc. non Iuris cogendi, sed tantum prohibitionis mentio fit.

§. 47.

Quis vero dixerit, vrbes Saxonicas vnquam arbitratas esse, ius sibi tantum intra milliare prohibitium competere? Affirmarunt potius, vbi primum praediorum equestrium possessores hoc ius infringere cognouerunt, in comitiis prouincialibus, praesertim de 1673, ius suum prohibendi ex Ordin. prouinc. de a. 1482. vniuersale esse, idque et pluribus aliis argumentis et sententia Scabiorum Lipsiensium confirmarunt.

Ex hac re, in Comitibus an. 1673. gesta, non videmus, quo pacto Menkenius *) argumentum contra vrbes peti posse opinetur. Quid, num, simulac Ius tuum ab aduersario in dubium vocatur, legislatoris confirmatione ita opus est, vt deficiente hac, illud abrogatum putari debeat? Si Menkenius acta comitialia vel diligentius euoluisset, vel bona fide res ibi gestas narrasset, in aliam prorsus sententiam discedendum ipsi fuisset. Cum enim Ordo equester nihil, quod opponeret, haberet, Princeps Elector, in Comitiorum Recessu, vrbiū querelis permotus, sine discrimine omnes actus possessorios *ipso iure* pro vitiosis, turbatiuis atque irritis declarauit.

§. 48.

Legibus tam clare iubentibus, auctoritas opinionum parui momenti est; Ex sententia Carpzovii, supra commemorata, nil prae-terquam hoc apparet, dicasterium verba Ordinationis prouincialis: „*Es sollen aber gleichwohl diejenigen, so des Brauens oder Schenkens in „Gewähr oder Gebrauch seyn, dabey bis zur Erörterung der Sachen bleiben;*“ — ita intellexisse, vt ante finitam litem omnia in statu suo permanerent. Quantum autem hoc a possessorio differat, et exinde nequaquam colligi posse, dicasteria Saxonica possessionem praediorum nobilium dominis contra vrbes in iure cereuisiaro adiudicari solita fuisse, alio loco diximus. Sententia denique, a tribunali Halensi pronunciata, huc propterea non quadrare videtur, quod, licet coctura et venditio cereuisiae Iure Brandenburgico pro quaestu ciuico habeatur, possessorium tamen ex legibus

*) Diss. l. §. 36.

huius prouinciae, in causis cereuisiariis valet. *o*) Nec tamen imus infitias, nonnunquam cum a Dicasteriis *p*), tum a supremo provinciali Reginine, praeuia demonstratione possessionis aliquot annorum quietae, possessionem actori adiudicatam esse; sed partim vis obligatoria singularum rerum iudicatarum, propter peculiare in qualibet causa litigiosa obuenientes conditiones, rationes et causas aliis non praeiudicat *q*), partim res iudicatae, quae per se iniustae, h. e. legibus contrariae, sunt, ac solummodo per negligentiam aduersarii adquiescentis, valent, legibus et iuri publico non derogant; partim obstant aliae auctoritates, quas in fauorem opinionis nostrae proferre possumus. *r*) Itaque semper stabit sententia nostra, atque, vt id addamus, multas quoque Principum habemus declarationes, cum in Comitiiis provincialibus, tum aliis temporibus datas, ex quibus cognoscimus, legislatorem possessoribus praediorum aliisque possessionem affectantibus, nihil aliud, quam solam *iuris probationem* concessisse, nulla *possessionis* habitatione. Sic regimen nostrum supremum nouissimis temporibus ob denunciationem vrbium, Wurzen et Grünhayn, praedio equestri Machern, cauponi hereditario (*Erbkretschmar*) Mitweydae, atque possessori iudicii hereditarii (*Erbgerichte*) Grosböhlae, neglecta

o) cf. RECESS. COMIT. de a. 1653. apud MOSER von der Landeshoheit in *Poliz. Sachen*. P. 159. sq.

p) cf. Prooemium litis.

q) Eodem modo iudicauit Facultas Lips. de vi rerum iudicatarum anno 1789.

r) cf. WERNIER *Obseruatt. forens.* P. IX. Obs. 42.

possessione, potestatem tantum probandi ius illis reseruauit. *rr*)
 Quod si vero, Regimen prouinciale eum, qui possessionem
 annorum 31, 6 hebdomadam, et 3 dierum demonstrauit, in
 hac tueri atque urbem ad petitorium instituendum remittere
 videmus; impense dolendum est, summum hoc tribunal, in
 cuius scriniis ius quodammodo repositum est, per yasallorum
 abusus de certissimo legum patriarum sensu incertum factum esse.
 Pauca liceat obseruationes modeste adlicere.

Possessorium in causis cereuisiariis vel valet in Saxonia vel
 non valet. Si propter leges expresse prohibitiuas valere nequit,
 cur vllius possessionis licet tricennalis ratio habetur? Sin valere
 potest, cur possessio tam longa requiritur? Videtur Regimen
 prouinciale in ea re veterem illam conuentionem, quam vocant
 braxatoriam, certe qua monumentum pristinae interpretationis
 legum prouincialium sequi. At vero si vnus sanctionis, quae in
 hac conuentione deprehenditur, ratio habetur, cur altera plane
 negligitur, nimirum illa, vt in causis braxatoriis possessorium,
 cum leges prohibitiuae obstent, locum habere nequeat? Attamen
illud pacto demum inter transigentes constitutum est, de *hoc* vero
 conuenerunt, tanquam de *axiomate* iuris patrii certo atque firmis-
 simo, vnde omnis proficisceretur transactio.

§. 49.

Quod si in genere in causis cereuisiariis possessio neque
 longa neque breuis iure Saxonico respicienda est, pro natura rei

rr) RESOL. GRAVAM. d. a. 1787. data in Comitiiis 1795 habitis.

sequitur, possessorium neque ordinarium neque summarium obtinere. Ut rem ordine tractemus atque omnibus numeris, quantum vires nostrae patiuntur, absoluamus, de utroque genere processus speciatim agamus.

POSSESSORIUM SUMMARIUM non obtinet,

- a) quia praediis equestribus vitia in continenti liquida obstant,
- b) quia omnis eorum adprehensio possessionis actus improbus, et turbatius est,
- c) quia possessio praediorum equestrium neutiquam quieta est.

Ad a)

Vsu fori legibusque discrimen est inter processum possessorium ordinarium atque summarium. In hoc de facto, in illo de iure possessionis quaeritur. Ad vim priuatam e societate civili eliminandam expedire aiunt, ut lite de possessione mota, ei primo possessio tribuatur, qui ultimus rem quiete possedit. Tranquillitate et securitate demum restituta disquirendum, utrum possessio iusta an vitiosa sit? Exinde opinio orta est, exceptionem possessionis vitiosae, a reo oppositam, in Possessorio Summario non attendendam esse. Id quod sub ea tantum modo conditione verum est, si illa exceptio ulterioris indaginis sit. Alias enim iniquitas atque vis praesidio legum gauderet. Cessante ratione legis, cessat eius effectus. Simulac igitur vitium possessionis in continenti liquidum est, possessio omni effectu destituitur, nec

praedo propter improbitatem suam auxilium et tutelam legum meretur. Interdicta Romana principia de possessione exhibent. Cum vero discrimen inter Possessorium ordinarium et summarium Romanis nondum innotuisset, vsu fori recentiore demum introductum; ipsa Interdicta ad alterutrum duntaxat spectare dici nequeunt. Repetenda sunt potius principia ex Interdictis Romanis atque rei nostrae adplicanda, prout vel maxime naturae discriminis introducti, eius fini, atque vtilitati reipublicae optime expedire videtur. Quis vero bonus ciuis praedonem propterea, quod in nouissima possessione sit, tuendum esse opinetur? Affirmandum igitur est: „Vitia possessionis in iudicio possessorio summarissimo attendi atque possessionem nouissimam omni effectu destitui, dum vitia incontinenti liquida sint.“^{s)}

§. 50.

In continenti liquidum vero est, siue vltiori probatione non indiget, omne id, quod Iuris publici est. Atqui omnes actus possessorii praediorum equestrium per Recessum d. a. 1673 pro vitiosis ipso iure declarati; ergo patet, vitium, quod illis inest, in continenti liquere. Vrbes proinde, praedium equestre vitiosae possessionis reprehendentes, probatione supersedere possunt. Cum autem vitia in continenti liquida in possessorio summario respiciantur, Iure Saxonico in causis cereuisiariis controuersis actori, in possessorio summario experienti, possessio nunquam

s) cf. III. KIND *quaest. forens. Tom. II. cap. 32.*

decerni, et proinde nunquam possessorium summarium locum inuenire potest. t)

Sanctio illa legis d. a. 1673 in fauorem vniuersi corporis vrbium lata est, ne vna quidem excepta. Corpus omnium aequae ac singula membra aduersarii partes sustinent contra eum, qui possessionem braxandi affectat. Nunquam igitur fieri potest, vt praedium equestre, se vitiose quidem possidere dicat, sed ab extraneo, atque contra extraneum vitiosam possessionem prodesse, praetendat. Vrbium enim nulla pro extranea habenda est, vnaquaeque actori reponere potest: „vitiose a me possides,“ nec ad probationem huius exceptionis tenetur, cum ex Recessu d. a. 1673 omnes actus possessorii contrarii *ipso iure* vitiosi sint.

Nec difficilis refutatu est, exceptio in §. 21 obuia, quod nimirum pro natura rei et pro experientia notio vitiosae possessionis ad causas cereuisiarias haud quadret. Etiam si enim interdum personae singularis possessioni, neque vis, neque precarii, neque

t) Ex mente legislatoris voci „vitiosus“ in lege laudata non videtur notio trium vitiorum possessionis, quae plerumque per praecedentiam ita dicuntur, sed potius notio „illiciti“ subesse: ita vt vrbis, per exceptionem vitiosae possessionis oppositam actoris ad possessionem pronocantis possessionem non violentam vel clandestinam vel precario acceptam, sed improbam atque illicitam proprie appellet. Qualemcunque vero amplectaris vocis citatae interpretationem, idem semper consequens est, scil. Possessorium summarium non obtinere, vel quia actus illicitus nullus est, et pro infecto habetur, vel quia exceptio vitii propter Recessum d. a. 1673 in continenti liquida est, vitia in continenti liquida autem vel in Processu summario attendi oportet.

clandestinitatis vitium obiici queat, quippe ex sua persona nihil quod vitium inducat, fecit, ex re ipsa tamen, vel ignorante possessore, oritur vitium, ideoque cum ipso non melius agetur, cum nimirum obstet vitium primum, fons idem omnium malorum, quod videlicet actus possessorii legibus prohibitiis repugnent, sintque improbi, illiciti, turbatiui, ipso iure nulli.

§. 51.

Ad b)

Notionem possessionis turbatiuae, atque per eiusmodi facta possessionem neuiquam valide apprehendi posse, supra §. 28. sq. proposuimus. Quaestio, num possessionis adprehensio omnino in re aliqua cogitari possit nec ne, praecedit illi disquisitioni, num vitiosa, i. e. v. g. clam vel precario concessa sit? Et quamuis adhuc forte dubitare possis, vtrum in Possessorio summario de iustitia et vitiis possessionis cognosci debeat, certo tamen constat, illum, qui non potuit in possessionem venire, cum vel ea non vacua fuerit, vel alius contradixerit, vel ipsae leges prohibeant, nec pro possessore se gerere, nec remediis possessoriiis vi posse. In hunc modum autem in Saxonia omnes actus possessorii praediorum equestrium comparati sunt, cum in comitiis prouincialibus ordo ciuium perpetuo contradixerit, legesque publicae prohibeant, et a Legislatore pro ipso iure turbatiuis declarati fuerint; ex quibus efficitur, vt actori, possessorium instituenti, fundamentum agendi plane deficiat.

Ad c)

Eam denique ob causam Possessorium Summarium in causis cereuisiariis controuersis non statuendum erit, quoniam haud multa praedia equestria in Saxonia inuenientur, quorum possessio vere quieta dici possit. Si enim teste HOMMELIO in *Rhapsod. Obs. obs.* 580. in hoc genere processus per solam pignorationem possessio quieta interrumpitur, nonne id potius efficitur in possessione iuris cereuisiarii per iterata Urbium grauamina in comitiis et vbicunque fere locorum prolata? Diu nobiscum deliberavimus, quo pacto acciderit, vt Equites Grauamina urbium in comitiis prouincialibus prolata, modum procedendi illegalem, qui possessionem interrumpere non valeret, appellare auderent? Negandum quidem non est, querimonias vagas, in quibus illi, per quoruml actus vrbes sese turbatas existumant, non nominantur, effectum carere: at si quodammodo duntaxat cognitae habemus res in Comitibus gestas^{u)}, videbimus, eorum, qui rure quaestum cereuisiarium ad se rapuerant, ipsa nomina commemorari. Contra ius publicum Saxonicum vero Equites peccant, si in genere modum procedendi per Grauamina, illegalem dicunt, atque interpellationibus in Statuum prouincialium consessu factis omnem vim denegant. Quid, quaeso, urbibus, cum actionem ordinariam instituere, solummodo in eo casu, si turbatores intra milliare denegant, vsu fori inualuerit, quid, inquam, superest, quam quere-

^{u)} cf. praesertim *Acta Comititia* d. a. 1722. Inter alia ibi oppidum Lommatsch de 124 — Viteberga de 36 — Borna de 30 — Döbeln de 30 — Wurzen de 15 pagis nominatim conquerebatur.

Ias suas ad ipsum Principem et legislatorem deferre? Qualis esset illa constitutio ciuitatis, quae alicui ciui ius quoddam sub solemnibus sanctissimisque promissis concederet, omnem vero eiusdem defendendi vim et facultatem auferret, et vnum, quo adhuc retineri posset, modum, pro illicito, nullo atque frustraneo declararet? Nec praetereundum est rem agi inter ordinem ciuicum et equestrem, laesionem vni vrbi illatam omnes tangere et pro grauamine communi haberi, donec res ad disceptationem iudicalem peruenerit: vellem igitur scire, vbi haec res, nisi in comitiis, tractari possit. Quamobrem nunquam in Saxonia in causis cereuisiariis possessio nouissima adiudicari potest. Possessio enim nullo tempore iure incipere potest. Semper improba, illicita, vitiosa est: vitia in continenti liquita sunt.

§. 52.

Quae cum ita sint, multo minus

POSSESSORIVM ORDINARIVM

in causis cereuisiariis inter vrbes et praedia equestria controuersis locum inueniet. Cognoscitur ibi de vitiis possessionis, quae in probatione exponuntur, in reprobatione refutantur, atque iudex, num illa possessionem infirmare valeant, atque vtrius partis possessio melior sit, definit.

Omnibus hisce ambagibus in Saxonia supersedere possumus, cum actus possessorii qualescunque allegati ex legibus ann. 1670 et 1675 ipso iure vitiosi atque turbatiui sint. Quapropter omnino fieri nequit, vt praedium equestre, quod v. g. olim ius coquendae et vendendae cereuisiae exercuerit, possessionem autem ami-

serit, contra urbem ad antiquam possessionem recuperandam actionem cum effectu instituat, quum exceptio possessionis vitiosae et turbativae *in continenti liquida, eademque litis ingressum impediens*, nunquam non obstet, et statim pronunciandum sit, actionem non tenere. —

Quae ex Ordinatione prov. d. a. 1555. et reliquis legibus extorquentur argumenta, iam supra refutauimus, cum de genuina legum harum interpretatione ageremus. Igitur hoc loco, vbi de Possessorio ordinario sermo est, id vnum addimus, cum Ordinatio prov. d. a. 1555. adeo eum, qui in possessione braxandi versetur, vbi primum ab urbe modo qualicumque legali petatur, ad ius suum docendum adigat, quanto minus a probatione *iuris* abstinere poterit is, qui possessionem amisit, et amissam recuperare conatur! Frustra autem axioma, in Recessibus ann. 1670 et 1673 contentum, pro mera praesumptione iuris, quae probationem contrarii admittat, venditaueris. Quod si feceris, omnia, quae legibus sanciantur, meras praesumptiones appellabis: nec erit amplius vlla certitudo iurium. Accedit et hoc, quod vt tuam possessionem iustam esse et meliorem probes, nunquam fieri potest, ob rationes supra allatas, quas iterum repetere, nimis molestum esset. Inde nulla salus in Possessorio ordinario quaerenda, siue possessionem amissam recuperare, siue eam retinere velis, et firmissimum stat iuris patrii axioma: *In litibus cereuisiariis inter vrbes et incolas ruris ortis, nulla possessio respicienda, nullum remedium possessorium admittendum est.*

P A R S T E R T I A .

§. 53.

Non inus infitias, instituta analogia ex analogia diiudicari posse, atque analogiam iuris saepenumero esse fontem veritatis. At requiritur, vt illa instituta vere analogia sint, et iisdem principiis iuris vtrumque innitatur. Propterea autem, quod vna eademque lex de duabus rebus, sua natura ceterum a se inuicem diuersis, loquitur, haec minime ita analogae fiunt, vt, quod lex aliqua posterior tantum de vna iubeat, etiam simul de altera valeat, vel ab illa ad hanc concludere liceat. At inter ius venandi quaestumque braxatorium discrimen est, quod ad ipsam vtriusque rei essentiam et naturam spectat. Simulac enim illud a Principe priuatis concessum fuit, naturam iuris priuati induit, nec video cur non inter priuatos vtrumque remedium iuris, possessorium atque petitorium, locum obtineat? Longe alia est conditio quaestus braxatorii. Lis quidem etiam inter Priuatos mouetur, sed quaestus braxatorius certae ciuium classi dicatus et omnis extraneus exclusus est, gravissimis poenis in eum constitutis, qui illi sese immiscuerit. Ius venandi, quod soli Principi in Saxonia vindicatum et pro regali declaratum fuit, cum quaestu braxatorio aliquibus nominibus quidem comparari potest, cum autem discrimen modo laudatum ad rei essentiam spectet, analogice ex decisione nouissima 4. ad quaestum cereuisiarium concludere non licet. Perpendamus, quaeso, quid ad hanc legem edendam permouerit legislatorem? De eo, vtrum in causis venatoriis inter priuatos controuersis possessorium obtineret nec ne? vnquam litem fuisse, dubitamus;

de hac igitur, per Decisionem componenda, non cogitavit Legislator. Quaeri tantummodo potuit, qualis in hisce causis possessio requireretur, cum in iuribus discontinuis vnus anni quietam possessionem in possessorio non sufficere, explorati iuris esset. Definiuit igitur Decisio nouissima 4. *formam, ipsa re* tanquam certa et indubitata posita. Quo pacto tandem haec sanctio ad causas cereuisiarias analogice trahi potest, in quibus *ipsa res, h. e. possessionum attendenda sit, nec ne?* incerta et dubitationibus obnoxia est? nedum vt de *forma* eius definienda iam sermo esse possit.

§. 54.

Oratio nostra cum iam eo processerit, vt quaestionem controversam ex rationibus aequitatis, politiae atque oeconomiae publicae perpendamus, eundem ordinem, quo supra in aduersariorum argumentis exponendis vsi fuimus, sequemur.

1) Si praedia equestria, se, ad probationem Iuris coactos, eius perficiendae saepenumero absque sua culpa incapaces fore, queruntur, calamitates, quibus media probandi interiisse dicunt, demonstrari, et documenta amissa ex archiuis publicis suppleri possunt. Accidere quidem potest, vt praescriptionis immemorialis probatio interdum difficillima sit, interdum fortasse plane non perfici queat; cum tamen et contra leges publicas prohibitiuas peccatum et iura vrbium sanctissima violata fuerint, haud videtur iniuria praedio equestri illata quod probatio deficit: si enim iusto titulo adquisiuisset ius vendendae cereuisiae, certe memoria eius extaret, et probatio haud difficilis foret; e contrario omni

documento destitutum atque adeo testibus vltra hominum memoriam deponentibus, iusto titulo id quod postulat adquisiuisse non potest praesumi, ideoque aequum est, vt nec praedia eque-
stria vlllo tempore fructibus suae improbitatis quiete vtantur fruantur, nec vrbes suo iure careant.

a) Quae cum ita sint, etiamsi tali modo multa praedia eque-
stria cereuisiae coquendae exercitio exciderent, eorumque fortas-
sis aestimatio hac ratione aliquantum minueretur, attamen vel ab
auctoribus suis euictionem postulare licet, vel ipsi damnum hoc
pati debent, cum ysumfructum contra leges prouinciales sibi
vindictum, pro legitimis praedii redditibus habuerint. x) Adii cere
placet, id quod vrbes in comitiis 1722 Equitibus de ea re conqueren-
tibus, responderunt: *Die hohe Landesherrschaft confirmirt
nicht den Anschlag, sondern den Kauf, jedoch sonder alle
Eviction derer darin angesetzten Haupt- und Parti-
nenzstücke und jedesmal entweder mit der express an-
gehängten oder doch de jure stillschweigend darunter
verstandenen clausul, salvo iure principis et cuiusvis.*

Non arbitror, praediorum equestrium possessores nostris
adhuc temporibus idem argumentum, ad detrimentum ipsis immi-
nens demonstrandum, quo anno 1722 vsi sint, repetituros esse:
quod nimirum careant tot tantisque opportunitatibus modisque

x) „qui iure suo vtitur, nemini facit iniuriam, eidemque damnum,
quod alter per consequentiam inde sentit, imputandum haud est.

l. 13. §. 1. D. de iniur. l. 21. D. de aqua pluua arc. l. 26. D. de
damno infecto.

per mercaturam, litteras etc. acquirendi, attamen ad lautiores impensas teneantur, quam oppidani. — Responderunt eo tempore vrbes: equitibus sufficientem quaestus fontem esse ex muneribus aulicis atque militaribus: quaestum autem ciuicum ab omni parte esse limitatum. Nostro autem aeuo rationes vbique fere inuersae deprehenduntur. Quod si enim praedia equestria contem-
plamur, quibus quaeso praerogatiuis fruuntur, vrbes e contrario, quot oneribus premuntur! Nolo charitatem annonae omniumque rerum ad vitam sustentandam pertinentium commemorare, qua vrbes et ciues fere ad egestatem rediguntur, praediorum contra equestrium possessores atque rustici ditescunt, sed ipsis praediis equestribus tot diuitiae insunt, vt possessor intelligens, et rei rusticae gnarus, ingentia lucra inde reportare queat, etiamsi in iura vrbiu[m] et lucrum cereuisiarium falcem non immittat. Itaque optandum esset, vt hoc vrbiu[m] ius sanctissime custodiretur ipsorum praediorum equestrium ergo. Vrbibus enim et ciuibus ad vltima redactis, quid fiet de praediis equestribus et rusticis, et prope dixerim de tota patria? Sed praefiscine hoc nunc dixerim.

§. 55.

b) Cum nobiles in Comitibus anno 1722 habitis, se ad vectigalia et suo ordini imposita (*Ritterpferds-Geld*) et, cetera onera ciuitatis ferenda non amplius idoneos fore, dicerent, reposuerunt vrbes: „*Allein, was die Ritterpferds-Gelder anlangt, so sind bekanntlich die alten Anschläge nach dem Betrag und Werth des Guts, in so fern es Rittergut ist, nicht aber nach der dazu gezogenen bürgerlichen Nah- rung gefertigt worden.*“ y)

y) cf. Acta Comit. de a. 1722.

Sed damnum ad vrbes ex mala interpretatione legum Saxonicarum, et innumeris abusibus et conatibus praediorum equestrium redundans, longe maioris momenti est. In Comitibus anno 1787 habitis vrbium delegati, quaestum braxatorum nostris temporibus magis rusticum, quam ciuicum esse conquerebantur idque per catastra vectigalium ex potu soluendorum probabant. Sic anno 1781 in pagis et villis 110,064 $\frac{3}{4}$ doliā (*Fafs*), in vrbibus, 100,466. anno 1791 vero in rure 89,926 doliā, in vrbibus 79,690 $\frac{1}{2}$ doliā cocta, vendita, atque ex iis tributa soluta sunt. Quantum autem quaestus singularum vrbium eo diminutus sit, haec exempla demonstrant: Viteberga in Comitibus ao. 1787 indicauit, numerum ciuicum, qui ius braxandi exercerent, de 90 ad 35 deminutum esse, atque ex catastribus tributorum ex potu soluendorum circuli Electoralis docuit, per cereuisiam ruri coctam per 6 diuersos annos, cum in ipsam vrbem, tum in pagos, iuri cogendi obnoxios, inuictam, quaestum suum ita impeditum fuisse, vt in vrbe 7486 doliis (*Fafs*), 1 $\frac{3}{4}$ amphora (*Tonnen*) minus, quam olim coctum et venditum fuerit; atque inde, si pretium cuiusuis dolii 8 thal. computares, damnum 59,889 thal. 12 gr., quotannis vero 9981 thal. 18 gr. vrbi illatum fuisse. In iisdem Comitibus indicauit vrbs Ileburgum, numerum annuarum cereuisiarum hereditariarum (*Erb-Biere*), qui 775 esset, ad 90 decreuisse; Wurzenae de 629 ad 60; Schmiedebergae de 2000 doliis (*Fafs*) ad 200 vel 300 redactus fuit. In oppidulo Geyer hoc lucrum fere cessare coepit, etenim ad quartam partem cereuisiae, quae continet 5 $\frac{1}{2}$ doliā (*Fafs*), diuidendam, 5 siue 6 septimanarum spatium, opus est, quin ciues iure braxatorio

vtentes, praeceptis adeo poenalibus ad coquendam cereuisiam adigendi sunt.

Anno 1722. vrbes plurimum circularum Saxoniae, praesertim circuli Electoralis, de numero incredibili pagorum, qui proprio ausu cereuisiam coquere, vel cereuisiam extraneam non vrbanam consumere coeperant, nominatim questae sunt: — Inter alias vrbs Döbeln, per laesiones pagorum, quaestum suum ita deminutum esse, ostendit, vt loco 552. cereuisiarum (*Biere*), tantum 96. quotannis coquerentur.

§. 56.

Quae cum ita sint, non potest non

a) Damnum irreparabile aerario illi, ad quod tributa pertinent ex potu solvenda, exinde enasci. Dixert fortasse aliquis, idem esse, num vectigalia ex pagis, an ex vrbibus percipiuntur, dum eadem cereuisiae quantitas coquatur. — Sed repono, in vrbibus non tot defraudationes fieri posse, quam in pagis et villis, id quod cum principes nostri saepius perspexerunt, tum et ipsi Equites agnoscere debuerunt; quippe qui d. 28. Ian. 1676. vna cum vrbibus in Comitii declararunt: „*Dafs denen gesammten Städten in ihr fast einziges und allein übriges Nahrungs-Mittel des Bierbrauens und Schenkens unaufhörliche Eingriffe geschehen, woraus denn ihnen höchster Schade und Verderb, als auch im Steuer-Aerario grosfer Abgang entstehe, indem hiervon an Trank- Steuern wenig oder gar nichts entrichtet werde.*“ —

b) Pari passu cum interitu quaestus ciuici damnum Aerarii publici ambulat atque fides publica totius ciuitatis exinde vacil-

lat. Vectigalia (*Schocke*) et tributa in singulas domus, pro quantitate cereuisiae, quam quaeque coquere tenetur, disperstita sunt. Per laesiones pagorum quaestu cereuisiario collapso, eadem tamen vectigalia remanent; non possunt non igitur pauperiores fieri cum singuli ciues, tum tota vrbs, ita vt oneri ferundo magis magisque impares reddantur.

Nonne administratores aerarii, patriae nostrae sapientissimi, ne subditi tributorum solvendorum incapaces fierent, dismembrationes praediorum prudenter prohibuerunt? Sperare igitur possumus, fore vt etiam huic, de quo vrbes queruntur, morbo medela adferatur.

c) In salute vrbiū et salus totius ciuitatis simul consistit. Ibi sedes est opificiorum, fabricarum atque quas vocant manufacturarum; in his vero fons diuitiarum ciuitatis latet. Vnde autem salute ciuium collapsa fontibusque lucrandi deriuatis, subsidia et praesidia industriae haurientur? Iura igitur ordinum a maioribus nostris prudenter recepta et stabilita, sanctius, quam adhuc factum est, custodiri et vbi infracta sunt, reparari, totius reipublicae interest. γ)

§. 57.

2) Inter alia argumenta Equites quoque monuerunt, illis temporibus quidem, quibus eques solus possessione praediorum

γ) De his, quae diximus in §. §. 25. 26. 27. 55. 56., copiose, acute et sapienter disputauit Auctor libelli aurei, cui inscribitur: *Das Grabmal des Leonidas* §. §. 65. 66.

feudalium gaudis esset, paritatis seruandae gratia aequum fuisse, ut incolis urbium solis quaestus cereuisiarius, exclusis omnibus extraneis, tribueretur, sed mutato saeculi ingenio, nec hoc amplius constare posse. Verum enim vero, ut taceamus hac ipsa argumentatione sanctissima iura subuerti, eamque toti ciuitati perniciosam fieri posse, tantum id obiiciendum esse, arbitramur, eam nullo fundamento niti, quum iam illis temporibus, quibus in Saxonia quaestus braxatorius urbibus dicatus fuit, ciuibus in Saxonia, feuda possidendi, per priuilegia Caesarea facultas, ipsis Principibus Saxoniae auctoribus, tributa esset. 2)

3) Etiam si industria, concurrentibus producentibus atque opificibus, in ciuitate vel maxime promouetur, id tamen non indistincte affirmandum, puto, nec propterea omne robur omnesque neruos ordini ciuico incidi fas erit. Vrbes enim optima quamuis cereuisia cocta, non plures emtores inuenient, quamdiu possessoribus praediorum equestrium propriam cereuisiam subditis suis obrudere aliosque emtores ciuibus subtrahere permissum est.

Quod vero Equites commemorarunt, vrbes anno 1719 et 1720 nequidem, quantum suis incolis satis esset, tantum cereuisiae coquere potuisse, hoc vrbes tunc temporis negarunt; neque est, quod hoc accidisse miremur; naturali enim ratione euenit, ut ciues, quaestu braxatorio subinde collapsa, pauperiores facti,

2) Scilicet per Priuilegium Imperatoris *Ludouici IV.* d. a. 1329 et Priuilegium Regis *Caroli IV.* d. a. 1350. Cf. *Ill. Biener de ciuibus praesertim Saxonis feudorum equestrium capacibus.* Lips. 1784. 4.

exorta caritate annonae frumentum coëmere non valerent, quo quidem fieri potuit, vt copia cereuisiae in vna alteraue vrbe deficeret, sed sequitur inde, vt totus ordo ciuium iure priuilegioe suo priuetur?

§. 58.

Satis superque pro viribus nostris ostendisse putamus, quantopere et legibus Saxonice scriptis et saluti ciuitatis repugnet, ad solam possessionem in causis cereuisiariis respicere, et remedia possessoria admittere. Cum fieri nequeat absque iniquitate et quodammodo perturbatione, vt omnia in pristinum statum, qualis rigore legum inspecto esse debeat, restituantur, id vnum in votis corporis ciuici esse debet, vt conatibus ausibusque futuris, qui non nisi in vrbium totam perniciem cedere possunt, Principi iustissimo, sapientissimo, populi sui amantissimo, vero Patriae Patri placeat, obuiam ire, ferenda lege clara, perspicua, supra omnem dubitationem posita, in perpetuum valitura!

E p i t o m e

Recessus Comitiorum de d. 26. Mart. anni 1673 ex Actis comitialibus.

„Versprechen auch gnädigst, nach vorhergegangener weiterer Untersuchung, welche vermittelt gewisser Deputation förderlichst anzustellen, denen darwider vermerkten und angegebnen Steuergebrechen und Mis-

„bräuchen, absonderlich wegen Einfuhr und Schenkung fremder Biere, und
 „sonsten des Brauwesens und vermeinter Begnadigung halber, entstehenden
 „Irrungen, (wie bereits bey hiesiger Unserer Residenzstadt, vermittelt
 „Abschriftlich communicirter Mandaten und Patenten geschehen) nach
 „dem Landtagsschluss Anno 1670, nachdrücklich abzuheffen, massen dann
 „die zu dessen Behuf anziehenden Actus pro vitiosis et turbatiuis ipso
 „Iure gehalten, und in keinerley Weise attendiret, Dieses auch von Unsern
 „Rechts - Collegiis in sententionando in acht genommen, und also die
 „Städte, so wohl dießfalls, als auch in Handel und Wandel bey der Landes-
 „Ordnung, und ihren erhaltenen Alten Freyheiten geschützet werden.“

C O R R I G E N D A.

- p. 3. not. c add. Avctor libelli egregii, qui inscrib. Das Grabmal des
 Leonidas §. 62. sqq.
- p. 7 lin. 2 loco: coeptum fuit leg. coepta fuit.
- p. 12 lin. 3 loco: constitui leg. constituimus.

V I R O

PRAENOBILISSIMO ATQVE ORNATISSIMO

CAROLO LVDOLPHO HANSENIO

S. P. D.

D. CHRISTIANVS GOTTLOB BIENERVS.

Cum TVVM mihi consilium de libello quem edidisti scribendo aperires simulque de materia, quam TIBI tractandam sumferas, mecum communicares; non potui non propositum honestissimum et probare et laudare, licet subuerer, ne locus tam late patens et tot difficultatibus circumseptus diligentiam fatigare posset. A ituenili

enim aetate atque institutione academica haec fere abesse
solent, ut taceam multa latere in scriniis publicis priua-
tisque, quae ad hanc rem illustrandam ornandamque per-
tinere videntur. Itaque magna affectus fui laetitia, li-
bellum a TE elaboratum mihique oblatum perlegendo
pariter atque intelligendo TE non superasse solum dif-
ficultates, sed fontes adeo non cuius obuios adiisse. Le-
gentium esto iudicare quam sollerti cura et arte com-
positus, quam insigni diligentia elaboratus, quam va-
ria doctrina refertus sit, ego certe eidem nihil neque
addendum neque detrahendum existimaui. Quare TIBI,
Ornatissime Hanseni! reddo opusculum, quale mihi
tradidisti, TVVM est totum, quam enim in vno alteroue
verbulo feci lituram, nullius plane momenti est, neque
in stilo, quem ad rem materiamque adcommo-
dandum iu-
dicasti, aliquid mutandum putavi. Quamobrem TIBI,
Vir Doctissime! hoc ingenii doctrinaeque specimen gratu-
lor, et quemadmodum gnarum sollertemque in scribendo

TE exhibuisti, ita nullus dubito, quin eadem sollertia ac dexteritate libellum TVVM vindicaturus sis. Palma ac victoria TIBI non deerit, virtutis autem ac diligentiae praemia sequentur. Itaque Parentibus TVIS atque toti genti Hansenianae de vrbe patria bene merenti filium talem, honoremque, Patri inprimis hos curae parentalis fructus gratulor, spe certissima fretus, laetandi et gratulandi opportunitatem saepius redituram. TE autem, Vir Humanissime! rogo, vt quam instituisti viam pergas, vt domestica virtutis exempla et probitatis intuendo, nunquam a tramite iusti ac recti deflectas, atque ingenium magis magisque excolendo et ad studia utilia applicando, Parentibus TVIS TE plane dignum exhibeas, simulque recorderis, TE non TIBI sed patriae esse natum. Quod ad me attinet, Vir Ornatissime! hanc disputandi societatem lubentissime TEcum inii, et quemadmodum id ipsum TVAE TVORVMque parentum certissimum amicitiae fauorisque mihi est pignus, ita mirum in mo-


DK Ve 1478

dum a TE peto, ut hanc TVAM mihi conserues amicitiam. Vale, mi Hanseni! meque TVI amantem amare perge!

Dabam Lipsiae in studio Vniuersali pridie Kalend. Aprilis MDCCC.

m.c





B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Vol 118. 11
Ve
1478

QUESTIONEM IVRIS PVBLICI SAXONICI
VTRVM
SSORIVM SVMMARIVM
T ORDINARIVM
E COQVENDAE ET VENDENDAE
CEREVISIAE OBTINEAT

RITATE ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS
PRAESIDE
STIANO GOTTLOB BIENERO

M PROFESSORE PVBLICO ORDINARIO IN STUDIO
VPREMAE CVRIAE ELECTORALIS SAXONICAE ET
S IVRIDICAE ADSESSORE, CAPITVLI ECCLESIAE
THEDRALIS NVMBVRGENSIS CANONICO

VIII. APRILIS MDCCC

H. L. Q. C.

AD DISCEPTANDVM PROPONIT

AVCTOR

VS LVDOLPHVS HANSEN

LIPSIENSIS.

LIPSIAE

RESSIT CAROLVS TAVCHNITZ.



328